This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

$B 107 394

· FROM · THE · LIBRARY · OF ·
· KONRAD · BURDACH ·

Tadee
fr Annaus descende.

TVTONIS

MONACHI O. S. B. SAECVLI XII.

OPVSCVLA

E DVOBVS CODICIBVS ADMONTENSIBVS

NVNC PRIMVM EDIDIT

P. WILLIBALDVS RVBATSCHER O. S. B.
GYMNASII GRAECENSIS PROFESSOR.

GRAECII
IN AEDIBVS STYRIAE
MDCCCLXXXII.

BURDACH

TYPOGRAPHIA STYRIA, GRAECII.

VIRO DOCTISSIMO ATQVE HVMANISSIMO

FRANCISCO PAVLY

PHILOSOPHIAE DOCTORI

GYMNASII GRAECENSIS DIRECTORI

HVNC LIBELLVM SACRVM ESSE VOLVIT

GRATO ANIMO

VENERABVNDVS EDITOR.

BR65
T87
1882

PRAEFATIO.

Cum proximo anno in programmate gymnasii Graecensis Tutonis opusculorum partem ederem, uixdum sperare potui fore ut integri auctoris edendi copia tam cito mihi fieret, quam est facta in primis liberalitate societatis, quae „*Styriae*" nomine insignita Graecii floret edendisque litterarum artiumque operibus operam nauat faustissimam. Huic igitur societati honestissimae negotio huius libelli typis exprimendi liberalissime et splendidissime, id quod nemo qui uiderit infitias ibit, defunctae et ego habeo gratias quam possum maximas eique satis multi profecto mecum habebunt, qui cognito proximi anni quasi quodam prodromo auctores et suasores mihi erant, ut integra haec opuscula, utpote cum mentes tum animos legentium haud mediocriter alitura et theologicis studiis pariter ac philologicis nonnihil bonae frugis adlatura foras emitterem.

Quod addere placuit aliquot imagines delineatas ad ipsius codicis imagines coloratas in causa mihi fuit sententia *Ludouici Kurz de Goldenstein* collegae talium rerum peritissimi, qui easdem dignissimas esse delineatu iudicauit et ipse ultro delineandi operam haud facilem lubentissime et qua est manu artifice suscepit.

Atque his, ut par fuit, praemissis cum non haberem quae adderem, infra quae in programmate supra dicto de Tutone ipso et de duobus codicibus opuscula haec continentibus dicenda esse uidebantur fere integra recudenda curaui.

»Igitur *Tuto*, qui ne nomine quidem uiris doctis adhuc innotuit, nec quo anno nec ubi nec unde natus sit explorare contigit. Hoc unum constat monachum eum fuisse coenobii Tharisiensis, cuius rei ipse testis est, cum in fronte libelli, qui

R324752

de praeconiis s. Felicitatis inscriptus est et de quo paulo infra sermo erit, haec legantur: *Venerando et amando abbati Gumperto et unanimi domesticorum s. Felicitatis collegio Tuto ultimus pauperum Christi ex congregatione Tharisiensis coenobii.* Coenobium autem illud Tharisiense quod fuerit ex iis satis liquet, quae leguntur in *V. D. Augusti Lindneri* presbyteri Brixinensis opere, quod his ipsis diebus prodiit et cuius copiam liberalissime mihi fecit *P. Odilo Rottmanner* Monacensis; cuius quidem operis, quod inscriptum est: Die Schriftsteller und die um Wissenschaft und Kunst verdienten Mitglieder des Benedictiner-Ordens im heutigen Königreiche Bayern vom Jahre 1750 bis zur Gegenwart, Regensburg 1880, vol. II. pag. 194 haec habet: »Theres in Unterfranken (Tharissa), Bisthum Würzburg, Landgericht Hassfurt, gestiftet von Suidger, Bischof von Bamberg, im Jahre 1043, der später unter dem Namen Clemens II. den päpstlichen Stuhl bestieg. Die Lage der Abtei, umschlossen von waldigen Höhen und Weinbergen, ist sehr anmuthig. Sie wurde 1803 vom Churfürst Max Joseph aufgehoben. Das Klostergut ging anfänglich für 100.000 fl. an den coburgischen Minister Kretzschmann über, und kam später in den Besitz des Freiherrn von Dietfurt. Die Klosterkirche, die Abt Gregor 1716 zu bauen begonnen hatte und die mit einem Kostenaufwande von 100.000 fl. nicht mehr herzustellen wäre, wurde, ungeachtet des Flehens der Landbewohner, vom ersten Käufer abgebrochen und die Steine derselben als Baumaterial verkauft. Ueber den letzten Abt, Benedict Mahlmeister, der sich durch eine wohlthätige Stiftung für Arme seiner Vaterstadt Volkach verdient gemacht hat, s. Link, Klosterbuch, I. S. 390 sq.«

Eiusdem autem uol. pag. 183 edocemur, ubi coenobium illud s. Felicitatis fuerit, cuius abbati Gumperto Tuto noster opusculum suum de praeconiis s. Felicitatis, ut supra uidimus, sacrum esse uoluit et ex cuius congregatione se fuisse ipse ibi profitetur. »Schwarzach«, Lindnerus scribit, in Unterfranken (Münsterschwarzach, *M. St. Felicitatis* in Schwarzacha), Bisthum Würzburg, Gericht Dettelbach, an der Mündung der Schwarzach in den Main. Ursprünglich war dort ein Frauenkloster des Benedictiner-Ordens, das Theodora, eine Tochter Karls des Grossen, im achten Jahrhundert gegründet hatte. Im Jahre 877

zogen die Benedictinermönche von der im Jahre 816 vom Grafen Megingaud gestifteten Abtei Megingaudhausen nach Schwarzach.— Abt Bernard Reyder begann den Bau einer neuen Münsterkirche, den Neumann leitete. Abt Januarius Schwab vollendete dieselbe und liess sie 1741 einweihen. Es war ein Prachtbau im italienischen Style. Die Wände waren mit Freskomalereien geziert, welche Deutschlands Glaubensboten verherrlichten. Von den Klostergebäuden steht nur mehr ein kleiner Theil, der Gasttract.«

Jam quaeritur quo tempore Tuto uixerit. Atqui Gumpertum abbatem Theodorici cuiusdam successorem fuisse et inde ab a. 1142 usque ad 1149 pedum tenuisse idibusque Maiis uel iuxta necrologium Bambergense die 13. Jun. defunctum esse testis locuples est *Ussermannus* operis sui *„Episcopatus Wirceburgensis"* inscripti pag. 295. His addere placet tres uersus, quos *Dinner „Catalogus et Descriptio Abbatum"* pag. 18 de Gumperto habet, quem abbatum decimum septimum fuisse testatur ab a. 1142; uersus autem hi sunt:

> *Qui* (Theodoricus) *tibi coenobii fasces Gumperte regendi*
> *Liquit, quam tradis Sigennhardo ipse uicissim*
> *Spartam,* [1] *dum iuvat optatum conscendere caelum.*

Quo accedit quod *M. Rottmanner,* professor Wirceburgensis, frater O. Rottmanneri, quem supra nominauimus, litteris amicissimis mihi redditis certiorem me fecit, inuenisse se tandem in *Necrologio S. Michaelis Bambergae* sub die XXI. Aprilis (anni numerum deesse) *Tutonem abbatem Tharisiensem,* qui quin idem sit ac Tuto noster ideo in dubium uocari non possit, quod et ipse opusculum alterum ad *Gumpertum* abbatem Schwarzachensem (1142—49) alterum ad abbatem *W(igandum seu ignandum)* Tharisiensem (1151 †) dederit.

Inde certo certius esse uidetur Tutonem nostrum circiter medio saeculo duodecimo uixisse et intra annos 1142 et 1149 scripsisse opusculum de praeconiis s. Felicitatis quod iam supra memoratum est.

---

[1]) Cfr. Cic. ad Attic. I, 20, 3, IIII, 6, 2. Sauppius Cic. Vol. VIII. pag. 91 monet: *„Postea elegantiarum uenatores male seduli uocabulo, quod est Sparta, fere pro eo, quod est partes utuntur, ita ut dicant:* Spartam suam tueri, hanc alii Spartam relinquere, Spartas distribuere.«

Praeter hoc opusculum uni eidemque codici, signato n. 763, inde a fol. 68 usque ad fol. 98 insunt sermones IIII et Epistola. Sermones enim illos, quamquam in fronte Tutonis nomen non prae se ferunt ut reliqua opuscula, tamen Tutonis manui deberi ipse testis est dicens sub primi sermonis initio: »quamquam igitur inter ipsius beatae matris *praeconia quae iam pridem a nobis edita sunt,* etiam filiorum eius laudes non omiserimus, libet tamen eisdem denuo repetitis liberius occupari et iucundius oblectari.«

Altero autem codice n. 780 continetur primum inde a fol. 1 ad fol. 91 usque libellus: *De suscipiendo Deo,* quem omnium praestantissimum deinde usque ad fol. 112 excipit: *Passio sanctorum martyrum Viti Modesti atque Crescentiae.*

Uterque autem codex est membran., formae octau. min. nitidissime exaratus saec. XII.

Iam his finem impositurus unum tantum hoc qui pagellas insequentes legant monitos esse uelim, me in Tutonis uerbis nihil mutasse nisi orthographica quaedam aperte falsa.«

Praeterea ut opuscula haec legentium atque perscrutantium commodo inseruirem adieci in calce tres indices: locorum alterum, alterum nominum, tertium uerborum rerum grammaticum.

Iam hoc unum tantum restat, ut iterum iterumque debitas gratias agam illustrissimo atque doctissimo uiro *Dr. Francisco Pauly,* directori meo, cui has qualescumque studiorum primitias usque consilio indefesso ab ipso prouectas et postremo haud paucis operarum erroribus liberatas sacras esse uolui; deinde *P. Odiloni Rottmanner* O. S. B. bibliothecae Monacensi ad s. Bonifacium praefecto, qui liberalissime operae meae saecularia ordinis nostri XIIII. quamuis serius concelebraturae (celebrata enim sunt anno superiore) numquam defuit; denique *P. Jacobo Wichner* bibliothecae Admontensi praefecto, qui codicem utrumque quamdiu opus foret praesto mihi esse insigni qua est erga me beniuolentia siuit.

Scribebam Graecii Kalendis Nouembribus a. MDCCCLXXXI.

W. R.

TVTONIS

DE SVSCIPIENDO DEO LIBER.

PRAEFATIO.

DOMINO ET PATRI AMANTISSIMO W.

TVTO FILIORVM SVORVM VLTIMVS.

Inter scholares disciplinae uestrae alas a primo adolescentiae meae tempore enutritus et tamquam sub Moysi ducatu periculosas longae solitudinis temptationes hactenus expertus ueri Jesu gratiam desideranter expecto, quo tandem perfecta ipsius circumcisione mundatus ab uniuerso Aegypti eruar obprobrio. uideo autem peruigilem sanctae deuotionis uestrae instantiam, qua ad consecrandum Domino in eadem solitudine spiritualis tabernaculi cultum iugiter insudatis, a quo uos labore nec diutini molestia languoris nec pondus praepedire ualet senectutis. admiror etiam unanimem filiorum uestrorum alacritatem ad sequenda patris uestigia studiose anhelantem et copiosas hinc inde expensas ad necessarios huius aedificii usus certatim conferentem. alii enim aurum sapientiae, alii nitorem exhibent eloquentiae, isti coccum bis tinctum geminae dilectionis, illi byssum per integritatem carnis. sunt qui hyacinthum offerant, qui est aerei coloris in caelesti uidelicet conuersatione, sunt etiam qui pilos tantum caprarum in luctu habeant paenitentiae: nam capra pro peccatis offerri solebat hostia.

Sed enumerando singula magis ac magis mea torquetur conscientia his aliisque bonis uacua et utinam non omnibus malis plena. et quid faciam? numquid inter offerentes omnino

16. aerii *cod.*

uacuus in conspectu Domini apparebo? absit, ipse enim *diues in omnes, qui inuocant illum,* cui non esset quod offerremus, nisi ipso prius largiente gratis perciperemus. est ergo, licet pusillum, quod ex eius gratia me quoque in tabernaculi donaria praesumo oblaturum. quod quale sit breuiter perstringam.

Cum ipse Dominus de tabernaculi uel templi sui uisitatione asserat dicens: *ecce, sto ad ostium et pulso,* praesentis temporis insinuatione qua dicit: *ecce, sto et pulso,* iugiter se illi adesse debitumque susceptionis honorem expectare, immo pulsando exigere ostendit. qui enim pulsat, continuo se suscipi et intromitti uelut importuna quadam exactione depostulat. absit igitur ut suae nos aliquando susceptioni imparatos tantus hospes inueniat, qui paratum se indesinenter foribus astare indicat. timendum uero, ne pulsato incassum ostio iratus recedat dicens: *relinquetur uobis domus uestra deserta.*

Proinde sparsim collecta ex diuinarum auctoritate scripturarum exempla quaedam contexere proposui, quibus tamquam diuersis membris in unius libelli corpusculo compaginatis accommodatius pateat, quanto deuotionis apparatu hospitis huius susceptio a quibusdam celebrata, quam tarde quamque negligenter ab aliis exhibita, quam impie uero ac periculose ab aliis sit repudiata.

Quae licet incultis a me uerbis disserantur, sub una tamen serie legentium oculis proposita, si diligenter considerentur, solita ex eis religiosorum deuotio augmentatur, male inolita negligentium tarditas excitatur, infirmorum debilitas roboratur, imperitorum ignorantia eruditur, et obstinata infidelium impietas redarguitur. in his sane sicut et in ceteris imbecillitatis meae conatibus uestrae potissimum discretionis iudicio subiacere cupio, a quo nec in superfluitate castigari nec in correctione adiuuari erubesco. hinc iam inuocato susceptoris nostri adiutorio, de cuius susceptione scribere proposui, fratres nostros alloquens disserendae huius causae exordium capiam.

Capitula libri sequentis.

I. Qualiter uel occulta uel manifesta uisitatio Dei suscipiatur.
II. De angelis ab Abraham susceptis.

2. Rom. 10, 12. — 7. Apoc. 3, 20. — 15. Luc. 13, 35.

III. De conuiuio angelis per Abraham exhibito.
IIII. De Loth, qualiter angelos susceperit.
V. De Abimelech.
VI. De Jacob luctante.
VII. De Balaam.
VIII. De Gedeone.
VIIII. Item unde supra.
X. De Manue.
XI. De prima uerbi incarnati susceptione.
XII. De Simeone.
XIII. De Matthaeo, qualiter Dominum susceperit hospitio.
XIIII. De regulo et centurione.
XV. Qualiter a Samaritanis primo contemptus et postea susceptus sit Dominus.
XVI. De Martha et Maria.
XVII. De Zacchaeo.
XVIII. Qualiter imminente passionis suae tempore suscipi uoluerit dominus.
XVIIII. Quid circa contemptores uisitationis suae egerit.
XX. Quo apparatu ad celebrandum Pascha susceptus sit.

CAPITVLVM I.

Qualiter uel occulta uel manifesta uisitatio Dei suscipiatur.

Filii Sion incliti et amicti auro primo! uellem eulogicis paulisper ad uos uti alloquiis stilo qualicumque editis, si qua mihi sani et sale conditi aspiraret gratia sermonis. confido tamen de peruulgata omnibus prudentiae uestrae modestia, quod nequaquam onerosa uobis haec deuotionis meae uideatur sedulitas, quam fraterna impellit et excusat caritas.

Equidem congratulor beatitudini uestrae Deo et hominibus dilectae, condelector sanctitati uestrae, in quantum peccatori de sanctitatis aestimatione datur sentire. exemplo enim ueri Joseph, de quo Jacob filium benedicendo protestatur dicens: *filius accrescens Joseph, filius accrescens,* spiritualibus iam dudum pro-

22. Pro hoc capitis titulo in cod. est totius opusculi titulus »De suscipiendo deo«. — 33. Gen. 49, 22.

fectibus accrescere coepistis, adeo ut ex merito conuersationis accepta communione nominis uos nihilominus filii accrescentes et decori aspectu dici debeatis. cuius nominis interpretatio quia augmentum sonat, coepta pietatis exercitia nouo semper augmento multiplicare studete, sanctum ipsius templum quod estis uos bonorum omnium copia exornate, quo iucundius illud delectetur inhabitare. scitis ipsi iuramentum et uotum propheticum, immo nostrum, quod cum ipso propheta singuli frequenter iurauimus et uouimus dicentes: *si introiero in tabernaculum domus meae, si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis dormitationem, et requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.*

Ecce uidetis ad exhibendam ei cordis nostri mansionem quanta iuramenti et uoti constringimur necessitate, etiamsi spiritus non duceremur libertate. aderit autem ipse reddendi uoti adiutor, qui desiderii caelestis initium sua gratia inspiratum ad consummatae operationis perducit terminum. memor erit promissionis suae qua ait: *inhabitabo in illis et inambulabo.* ista sunt enim miserationum eius opera a saeculis et generationibus, et *deliciae* eius *esse cum filiis hominum.* nam ex quo per peccatum ab illa summae beatitudinis arce in aerumnosam hanc lacrimarum conuallem delapsi sumus, exerceri non destitit inuicta ipsius bonitas ad reficiendum quod fecerat opus. miris et ineffabilibus modis, nouis et inscrutabilibus consiliis necessaria saluti nostrae exquisita sunt remedia, ut multiplicia mortis uulnera multiplicior exsuperaret uitae medicina. susceptam homo conditoris sui legem male usurpato interdictae arboris uiolauit edulio, sicque mentis auersione refugit ab ipso, ad quem suscipiendum promptissimo totius uirtutis occurrere debuerat officio. sed quem contempserat in patria, eius uocem iam post tergum monentis suscipit in ipsa exilii sui aerumna: sicque poena erudit, quem indulta pridem gratia non cohibuit. quid autem inuisibiliter circa genus humanum sedula pii conditoris agi soleat uisitatione, nonnunquam uel ante legem uel sub lege uisibili angelorum praefiguratum est administratione. antiquis enim illis, ut apostolus ait, *omnia in figura contingebant: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum deuenerunt.*

12. Ps. 131, 3. — 18. II. Cor. 6, 16. — 20. Prou. 8, 31. — 37. I. Cor. 10, 11.

eadem ipsa incommutabilis Dei sapientia quae de se testatur dicens: *ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus:* quod est intrinsecus docere, etiam per angelos et in angelis ueniens commonitionis seu consolationis aut etiam correptionis adiutorium praebebat extrinsecus. sed sicut secreta inspirationis eius uisitatio deuotissime et parata mansione ab eruditis suscipitur cogitationibus atque e contrario, ut scriptum est, aufert *se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu,* ita et per angelos apparens aliter atque aliter a dignis uel indignis idem ipse susceptus habitus honoratus uel contemptus inuenitur.

Proinde quia mors animae est deserente Deo, sicut mors corporis deserente anima, curandum summopere omnique uirtutis instantia elaborandum, quatinus uitam, sine qua etiam uiuentes mortui sumus, gratuita bonitate nos uisitantem digne suscipiamus temploque eam gloriae suae non defraudemus. miseranda est enim et omni lacrimarum fonte lamentanda ipsius querimonia, qua cuidam sua susceptione uel mansione indigno exprobrat dicens: *uulpes foueas habent, et uolucres caeli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput* suum *reclinet.* Jesu benignissime, qui mortales nos et infirmitati obnoxios in honorem Dei uoluisti suscipere, quo pietatis et reuerentiae apparatu suscipi debeas dignanter edoce; ueni mansionem apud nos facturus cum benedicto patre; uulpes cauernulis suis eiectae, uolucres nidis effugatae liberum dare cogantur locum praesentiae sanctitatis tuae; ostende nobis cum Moyse uiam tuam; suscipiamus cum psalmista *misericordiam tuam in medio templi tui.* uideamus et in nobismetipsis recognoscamus mansionem tuam cum primis uestigiorum tuorum sectatoribus, de quibus scriptum est: *uenerunt et uiderunt, ubi maneret, et apud eum manserunt die illo.* hi aliique tales gratiae tuae susceptores et dilectores suis imperitiam nostram instruant monitis, desidiam suscitent exemplis, ut tandem aliquando etiam a nobis digne suscipiaris, conuenienti mansione honoreris, quia te solum decet omnis honor et gloria per infinita saecula. Amen.

3. Prou. 8, 12. — 8. Sap. 1, 5. — 19. Mat. 8, 20. — 26. Ps. 47, 10. — 29. Jo. 1, 39.

CAPITVLVM II.

De angelis ab Abraham susceptis.

In prima legitur fronte: duo eximii hospites angelorum immo ipsius Domini susceptores atque conuiuae Abraham et Loth procedant, ac magnifica diuinae susceptionis exempla praeferant, mystica conuiuiorum suorum adornent fercula singuli pro suae possibilitatis mensura. et prior quidem Abraham stupenda nobis uirtutum insignia reuelet, post etiam Loth quantum fidei uel deuotionis habuerit insinuet. *apparuit Dominus* Abrahae *in conualle Mambrae sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. cumque leuasset oculos, apparuerunt ei tres uiri stantes prope eum.* recte in ipso feruore diei, id est meridiano tempore, Dominus dilectori suo apparuisse dicitur, quo et Joseph in typo Christi cum fratribus inebriatur, et de quo sponsa dilectum percontatur dicens: *indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie?*

Nostis uos filii lucis mysterium temporis huius, quibus cum Abraham pleno splendore ueritatis perfectoque feruore caritatis suscipiendus apparet Dominus. paucis enim tantae sublimitatis aditus indulgetur hisque solummodo, qui cum Abraham ostio tabernaculi peruigiles semper assidere, id est accessum cordis indesinenter praemunire, solent, ut nec alienum admittant nec legitimo possessori introire uolenti moram faciant. malo domini sui Jsboseth meridie super stratum suum dormientis ostiaria aeque obdormiuit et ad perniciem eius hostibus introeundi locum praebuit. sponsa quoque pulsante aliquando dilecto ac dicente: *aperi mihi, soror mea, sponsa,* cum nimis morosa excusatione quietem suam, ne surgere cogeretur, defenderet, *exspoliaui* inquiens *me tunica mea, quomodo induar illa?* tandem moras illas detrimento sibi fuisse recognoscens anxie queritur ita subiungens: *pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat atque transierat. quaesiui illum et non inueni.* quod ne sibi eueniat praecauens Abraham tam circumspectus ianitor ostio assidet, ut et oculos ad speculandum subleuet, ac si dicat: *leuaui oculos meos in montes, unde ueniet auxilium mihi.* nouit enim subleua-

12. Gen. 18, 1 et 2. — 16. Cant. 1, 6. — 26. Conf. II. Reg. 4, 5. — 29. Cant. 5, 2 et 3. — 32. ibid. 5, 6. — 35. Ps. 120, 1.

tione oculorum interiorum opus esse pro contuenda tali uisione aç suscipienda dominica uisitatione. quocontra de his, qui sola terrena sapiunt nec ad capienda spiritualia cordis aciem subleuare sciunt, per psalmistam dicitur: *oculos suos statuerunt declinare in terram.* interea considerandum quia, cum tres uiderit, unum adorauit et inuitauit dicens: *si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum,* modo etiam uni modo tribus loquitur, trinum uidelicet in personis unum in essentia credens et confitens.

Elucent quippe manifestissima diuinae uisitationis ac deuotae susceptionis indicia, exuberante subito in corde patriarchae tanti profectus gratia. in ipso enim statim uisionis huius accessu prophetico repletus spiritu inscrutabile illud sanctae et indiuiduae Trinitatis sacramentum sereno cordis perspicit intuitu. praeterea quid rationis contineret mystica pedum lauatio, quam postmodum Dominus discipulis suis et exemplo ostensurus et uerbo praecepturus erat, nequaquam illum latere poterat, qui eodem officio etiam angelos honorare curabat. deinde ut hoc quoque uisibilibus praesignaretur ministeriis, quod spiritualiter implendum promissurus erat Dominus: *si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cenabo cum illo, et ipse mecum,* prouidus susceptor hospites inuitat ad conuiuium, magis uero ipsum, qui cum angelis et per angelos apparuerat, in cordis sui cenaculo sanctae deuotionis dapibus reficere desiderabat.

CAPITVLVM III.

De conuiuio angelis ab Abraham exhibito.

Quis digne perpendere ualeat, quanta hilaritas et agilitas in Abraham impigro scilicet patre familias uel in domesticis eius circa exhibendum hospitibus conuiuii apparatum uigeat? apostolicae illius commonitionis auctoritas qua dicitur: *hilarem datorem diligit Deus,* nondum insonuerat, et iam hanc in eorum cordibus ipse digitus Dei scripserat, qui in tabulis lapideis legem conditurus erat. quid enim? numquid euangelica illa Martha, quae Domino in carne praesenti ministrabat, uehementiori discursu fatigari, maiori sollicitudine erga plurima turbari poterat?

5. Ps. 16, 11. — 7. Gen. 18, 3. — 21. Apoc. 3, 20. — 31. II. Cor. 9, 7.

Abraham primum de ostio tabernaculi in occursum uenientium occurrit ad adorandum, eodem rursus impetu festinans ad tabernaculum Sarae indicit accelerandum: *accelera*, inquit, *tria sata similae commisce, et fac subcinericios panes.* ipse uero ad armentum pro uitulo afferendo cucurrit. sed quia festinantibus facile surrepere solet negligentia, ut quod praepropere faciunt congrua explere nequeant diligentia, Abraham et ab hoc uitio alienus multum quidem festinauit, sed tamen quod melius erat elegit: tulit enim uitulum tenerrimum et optimum. puer etiam ad hunc parandum more domini sui festinare non distulit; sanctae quippe deuotionis feruor excludit otium, desidiae nullum relinquit locum. tandem paratis omnibus conuiuis sub arbore considentibus apponitur butyrum, lac et uitulus, astat coram eis ipse Abraham ut minister officiosus.

Quid ad tam uarias et mysteriis grauidas huius conuiuii expensas dicam ego modicae fidei aliique similes mei spiritualium copiarum egeni? quo studio susceptionis huius uel ministerii deuotionem imitabimur? nam etsi spiritus qui per Abraham designatur ad suscipiendam diuinae uisitationis gratiam promptus inueniatur, caro tamen, cuius typum Sara gesserat, infirma et corruptionis suae pondere grauata insuper et inolitae prauitatis consuetudine depressa ad exequendam illius alacritatem nequaquam erigitur. simila uero, quae est tritici medulla ab omni grossitudine extenuata, puritas et simplicitas sensuum est intelligenda. de qua uideritis uos, o amici sponsi, si parata semper apud uos inueniatur et sincera in eius conuiuio digne proponenda, si butyri assit copia, quo *sicut adipe et pinguedine repleatur anima* uestra. attendite affluentem gratiae huius abundantiam in eo qui dixit: *quis mihi tribuat, ut sim iuxta menses pristinos. sicut fui in diebus adolescentiae meae, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo: quando lauabam pedes meos butyro?* porro lacte iam dudum abundare coepistis, ex quo uidelicet conditori ueraciter dicere potuistis: *sicut lac mulsisti me*, id est, postquam ab usu uetustae conuersationis abstracti in teneritudine ac subtilitate sanctae nouitatis formari meruistis. sic enim primum ad edendas uituli tenerrimi et optimi carnes uenistis, eo ritu ad

4. Gen. 18, 6. — 6. cod. surripere. — 28. Ps. 62, 6. — 31. Job 29, 2—6. — 33. Job 10, 10.

potandum sacrosancti sanguinis eius calicem accessistis. ut autem redeamus ad Abraham: expleto conuiuio proficiscúntur hospites; ita enim et ipse quasi uiatoribus cum susciperentur condixerat: *ponam* inquiens *buccellam panis et confortate cor uestrum, postea transibitis. transibitis*, inquit; ita quippe necesse est. sciebat patriarcha sanctus ab eodem edoctus a quo et uisitatus, uenire quidem ad nos Deum per exhibitam uisitationis suae gratiam, sed non permanere, immo transire ac recedere, quamdiu mortalitatis premimur pondere. agitur enim hoc mira ipsius dispensatione, ut, quem semper habere non possumus, eius saltem per interualla temporum expectato reditu gaudeamus. uoluerat fidelis ille susceptor, si possibile fuisset, desiderabilem apud se conuiuantium praesentiam diutius detinuisse; uellet deuota quaelibet anima conceptam supernae illustrationis dulcedinem iugiter obtinere, sed necesse est illam recedente Domino suauitatis ipsius auctore sua rursus affici amaritudine. uerum satis iucundum in hac parte pater gentium filiis suis reliquit exemplum: nam quia in ipso conuiuii loco hospitum suorum suaui colloquio ad libitum exsatiari non potuit, idcirco recedentium comes esse uoluit, ut saltem deducendo ac prosequendo uisionis pasceretur desiderio.

Ita et nos, dum auolare a nobis nuper susceptum animae nostrae doctorem et consolatorem senserimus, tum demum quasi in prosecutione eius amarioribus suspiriis, largioribus lacrimis indulgeamus, ne redeundi moras protrohat neue dilectores suos orphanos relinquat, intentissime flagitemus.

CAPITVLVM IIII.

De Loth qualiter angelum susceperit.

Loth patriarcha licet sanctus et Deo dilectus longe tamen inferior patruo suo Abraham aestimatur, cuius uirtute et prius a captiuitate et postmodum a Sodomorum pernicie ereptus scriptura teste asseritur. ita enim scriptum est: *cum subuerteret Dominus ciuitates regionis illius, recordatus* est *Abraham* et *liberauit Loth de subuersione urbium in quibus habitauerat.* qui sicut dispares sunt meritis, ita etiam pro disparibus uisitati sunt causis: Abraham enim ut gloria illustraretur, hic ut a periculo

5. Gen. 18, 5. — 33. Gen. 19, 29.

erueretur; illius semen per Jsaac multiplicandum promittitur, huius prolis legitima successio diuina animaduersione succiditur, dum generi ipsius, qui accepturi erant filias eius, pariter in subuersione ciuitatis inuoluuntur. inter Dominum et Abraham longa disputatio facta est, percontante illo, utrum parceret Sodomis, si tot uel tot iustos ibi inuenisset: ad Loth autem abrupta sententia dictum est, *delebimus locum istum, eo quod increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos ut perdamus illos.* denique diuersitatem, quae inter hos patriarchas erat, non solum uisitatio et reuelatio ad eos facta sed et susceptio per eos angelis exhibita indicat. Abraham currens, Sara accelerans, puer festinans aliaque huiusmodi magnae deuotionis indicia ibi signanter exprimuntur, quae de Loth minime commemorantur. nec mirum, si expeditior ad cursum Abraham esse poterat, qui in tabernaculo, quod expeditae militiae signum est, habitare consueuerat: Loth uero ciuitatis illius incola factus, quam sua grauabat iniquitas et iam iamque in profundum abyssi peccatorum demergebat enormitas, in illa spirituali alacritate non adeo uigebat. sane uxor eius in statuam salis paulo post conuertenda futurae immobilitatis atque duritiae imaginem iam fortassis imitari coeperat, ut uidelicet a boni operis ministerio desidiae languore torpesceret.

Verumtamen magnum est in hoc patriarchae istius praeconium, quod inter impios inuentus est iustus, inter damnandos saluandus. sicut enim maioris est iniquitatis inter bonos esse malum, nec imitari uelle pietatis exemplum, sic magnae perfectionis est inter malos conseruari bonum, nec tamen ad peruersitatis trahi consensum. arguebat ergo magis illorum prauitatem et diiudicabat, quod et ipsi aduersus eum iurgantes contestari uidebantur cum dicerent: *ingressus es ut aduena, numquid ut iudices?* dicat summus ille apostolorum princeps, dicat quid de hoc patriarcha sentiat, quam de eius sanctitate aestimationem habeat: *et iustum,* inquit, *Loth oppressum a nefandorum iniusta ac luxuriosa conuersatione eripuit: aspectu enim et auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* et quam recte, cum iustus aspectu et

5. Conf. Gen. 18. — 8. Gen. 19, 13. — 19. Conf. Gen. 19, 26. — 31. Gen. 19, 9. — 36. II. Petr. 2, 7 et 8.

auditu diceretur, etiam iniquis operibus cruciatus asseritur, quia, dum mala quae uisu et auditu abhorrebat corrigere non posset, zelo grauiter cruciabatur! qui etsi deficientibus ex parte uirtutum apparatibus ad perfectam illam susceptionem et conuiuii celebrationem, quae in Abraham commendatur, sufficere non potuit, miris tamen et multis meritorum gradibus nostrae fragilitatis metas excessit. nam nec ueteris nec noui testamenti praeceptis asstrictus, in medio gentis peccatricis, cuius clamor usque ad caelum peruenerat, iustitiae tramitem indeclinabiliter est prosecutus.

Nos uero econtra in medio ecclesiae positi sanctorum exemplis undique muniti sumus et tamen contempta mandatorum regula noxie uiuimus. itaque considerantes obsequii eius modum, quo aduentum et uisitationem suscipere meruit angelorum, deuotionis eius imitatione ad suscipiendum instruamur ipsum regem angelorum. *uenerunt duo angeli Sodomam uespere sedente Loth in foribus ciuitatis.* quos *cum uidisset, surrexit obuiam eis adorauitque pronus in terram et dixit: obsecro, domini, declinate in domum pueri uestri, et manete ibi: lauate pedes uestros, et mane proficiscemini in uiam uestram. qui dixerunt: minime, sed in platea manebimus. compulit illos oppido, ut diuerterent ad eum: ingressisque domum illius fecit conuiuium, coxit azima, et comederunt.* quod supra in Abraham obseruauimus, quia scilicet ostium tabernaculi sedulus contemplator ac promptus hospitum susceptor obsederit, idem et de Loth scriptura nobis hic indicat. quia uero Sodomitae a lumine defecerant ueritatis, eo tempore uenisse dicuntur angeli, quod occidente sole nocturnis iam occupabatur tenebris. moxque assurgente Loth humiliter adorantur, deuote inuitantur, renuentes damnatae urbis moenia subire quadam pietatis uiolentia compelluntur. ubi considerandum mihi uidetur, quidnam sit, quod idem angeli ad eum ingredi noluerant nisi cogerentur, qui ad hoc ipsum uenerant, ut ab eo susciperentur. ad ereptionem eius assunt, et tamen parumper dissimulantes quasi uim pati uolunt. in quo et probatam ipsius deuotionem declarant, quem ad impendenda hospitalitatis officia non solum paratum sed et uiolentum ostendunt, nobis uero eiusdem uiolentiae exemplum studiose imitandum proponunt.

Equidem de hospitibus suscipiendis uel potius, ut suscipi-

21. Gen. 19, 1—3.

antur ad hospitia nostra, compellendis patet ratio, et frequens est inter fideles huius deuotionis aemulatio, sed altior uidetur quaedam huius rei contemplatio. nos enim longe aliter quam Loth in Sodomis mansimus et manemus, qui non tantum locali cohabitatione sed et iniquitatis perpetratione cum concilio uanitatis sedemus *et cum iniqua gerentibus* introimus: nec tamen a salutis nostrae prouidentia cessat ille magni consilii angelus. gratuita quippe benignitate sua ad nos declinans stat ad ostium et pulsat, ac ut ingredi debeat cogi a nobis desiderat. quia enim peccatorum sordibus polluta est conscientiae domus ideoque indigna uisitatione ipsius, restat ut, quem non delectamus meritis, precibus ad introeundum compellamus et lacrimis. ad Abraham dilectum suum aliosque tales non compulsus ultro ingreditur, quorum fide ac deuotione digne suscipitur, sanctitate uitae honoratur, ad peccatorem uero diuertens gemitibus interpellatur ac singultibus, humilitate flectitur, contritione cogitur, ut introitus sui illustratione locum sibi ad manendum emundare dignetur. quibus enim aliis meritorum apparatibus latro ille in cruce obtinere potuisset, ut tenebrosas conscientiae suae latebras lux uera praesentiae suae fulgore irradiaret, nisi solam humilitatis atque confessionis hostiam obtulisset?

Sed iam ad Loth redeamus. introductis ergo ad se hospitibus fecit conuiuium, nulla tamen ut in Abrahae ministerio descripta uarietate ferculorum. coxit tamen azima, ostendens ad eorum se pertinere consortium, qui expurgato ueteri fermento in azimis sinceritatis et ueritatis paschale cum Domino celebrant conuiuium. ob cuius gratiae consummationem in Jsraelitarum typo de Sodomis, ubi plurimum Aegyptiae praeualuerant tenebrae, duobus angelis tamquam Moyse et Aaron ducatum praestantibus egreditur, ut ad ueram illam repromissionis terram peruenire mereatur. qui ergo beatum hunc patriarcham ob recordationem Abrahae amici sui a Sodomorum eripuit incendiis, nos ob memoriam misericordiae suae a peccatorum eruat laqueis.

6. Ps. 25, 4.

CAPITVLVM V.

De Abimelech.

Ex multis sanctarum scripturarum constat testimoniis, diuinae uisitationis gratiam dormientibus plerumque hominibus nocturna reuelatione administrari, eosque sic uel futurorum praescientia illustrari uel pro delictis corripi et emendari, multisque modis, prout humanae salutis necessitas exposcit, caelitus informari. sed huius quoque uisitationis uaria inuenitur susceptio, uxta quod eorum qui hanc suscipiunt fides fuerit et conuersatio: alii ea quae diuinitus insinuantur tanta fidei ac intellectus capacitate suscipiunt, ut et intelligant et oboediant, alii ut intelligant quidem sed non oboediant; alii autem adeo sunt hebetes, ut nec intelligant nisi delata ad se hominis alterius, melioris uidelicet et capacioris, magisterio discant, et tantae sunt obstinationis, ut ne sic quidem his, quae per reuelationem audierint ac per hominem intellexerint, oboediant. accipe de his singulis congrua ex auctoritate scripturarum sanctarum exempla.

Abimelech, rex Gerarae, sublata in domum suam Sara diuinae uisitationis correptione per somnium admonitus cum euigilasset, quod audierat memoria tenuit et arguenti Deo emendatus oboediuit. Laban quoque, cum fugientem Jacob assumptis fratribus suis hostiliter persequeretur, correptus a Deo in uisione nocturna statim a concepto furore restringitur. Balaam uero ad maledicendum Jsrael uocatus contradicentem sibi Deum per uisionem audiuit, sed auaritia caecatus a proposito itinere non destitit. Nabuchodonosor pro commonitione sua uisionem magnam uidit, quam per se intelligere non potuit, sed interpretante Daniele quod uidisset edoctus et consilio quid facere deberet admonitus, ut uidelicet peccata sua eleemosynis redimeret, minime consensit, sed in superbia perdurauit, donec tandem flagellis coactus humiliter sentire didicit. uerum his exempli gratia praemissis ad causam Abimelech regis quam primo commemorauimus, plenius, considerandam redeamus.

De qua ita scriptum est: cum peregrinaretur Abraham in Geraris, *dixit de Sara uxore sua: soror mea est. misit ergo Abi-*

21. Conf. Gen. 19. — 23. Conf. Gen. 31, 22 sqq. — 25. Conf. Num. 22. — 31. Conf. Dan. 4. sqq.

melech rex Gerarae, et tulit eam. uenit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, et ait illi: en morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim uirum, et cetera. quod Abraham sororem suam dixit Saram non uxorem, utique ideo dixit, ne se occiso ab alienigenis captiua possideretur, certus de Deo, quod eam uiolari non pateretur. dixerat hoc etiam prius in Aegypto, similique occasione tulerat illam Pharao. sed is tamquam insensatus et allocutione diuina indignus non uerbis nocturnae uisionis instruitur sed uerberibus constringitur, sicut scriptum est: *flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, et domum eius propter Sarai uxorem Abram.* porro Abimelech, qui ad suscipienda correptionis uerba idoneus inuenitur, comminatione tantum flagelli a perpetratione peccati deterretur, cum dicitur: *en morieris propter mulierem quam tulisti, habet enim uirum.* et quam congrue non alio quam nocturno tempore comminantis Dei uerba suscipit, qui impendentem sibi mortis sententiam audit! Abraham ut filius lucis in ipsa plenitudine meridiani fulgoris suscepit Deum; Loth illo inferior non tamen omnino noctis uel tenebrarum residua adhuc parte aliqua diei, id est uespere, angelis praebuit hospitium; Abimelech longe ab his disiunctus nocte correptionis suae meruit alloquium. quod autem ait Deus: *en morieris,* non de prouidentia descendit, ut praedicat sine dubio futurum, sed terrentis est commonitorium. ipse ergo, quia non tetigerat eam, suscepta humiliter corripientis inuectione ait: *Domine, num gentem ignorantem et iustam interficies? in simplicitate cordis mei et munditia manuum mearum feci hoc.*

Notandum, quanta adhuc fuerit in hominibus aeui illius religio, quam recta honestatis ac iustitiae aestimatio, quam nec in rege diuitiarum et gloriae fastus potuit corrumpere. certe praeco Christi apostolus, immo per praeconem suum ipse Christus, terribiliter intonat dicens: quicumque *templum Dei uiolauerit, disperdet illum Deus.* numquid mitior ista est comminatio his, quae rex ille audiuit in somnio? ueruntamen quis nunc tam horrendo suscitatus auditu ita expauescit, sic se a torpore noxio excutit, ut ille a somno corporis pauefactus exiliit? et hic quidem immunis adhuc a reatu erat adulterii, nos uero totiens

3. Gen. 20, 2—3. — 11. Gen. 12, 17. — 14. Gen. 20, 3. — 26. Gen. 20, 4 et 5. — 32. I. Cor. 3, 17.

uiolatī sacrilegio tenemur dominici templi. deinde uidendum ex consequentibus, an solus rex tanto tremore susceperit uerbum Domini, an etiam subiecti eius simili fuerint terrore perculsi. sequitur: *statimque de nocte consurgens Abimelech, uocauit omnes seruos suos, et locutus est uniuersa uerba haec in auribus eorum, timueruntque omnes uiri ualde.* quantum etiam adulterii facinus horruerint, ipsius regis uerbis declaratur, quibus Abraham obiurgando alloquitur dicens: *quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super me et super regnum meum peccatum grande?*

Ex quibus omnibus consideranda et iugiter est deploranda nostri temporis miseria, cum hoc, quod illi sine interdicto scriptae legis abhorrebant, nunc multi nec sacramentorum caelestium reuerentia nec excommunicationis uindicta cohibiti impudenter admittant. nobis autem iuxta spiritualem dumtaxat intellectum suspecta semper esse debent loca, in quibus periclitari uisa est Sara, Aegyptus uidelicet et Gerara, ubi ab alienigenis appetita et suo est marito subtracta. formidandum est enim, ne quando ab alienigenis, id est malignis spiritibus, animarum corruptoribus comprehensi a complexibus ueri diuellamur sponsi. equidem Aegyptias, id est carnalis uitae tenebras, iam olim contempsisse uidemur, ex quo sanctae professionis habitum suscepimus. non autem Aegypti tantum sed et Gerarae habitatio cunctis Deum sequentibus nihilominus est declinanda, quia uidelicet haec duo regna, quantum ad mysticam spectat intelligentiam, pari impietatis societate constat esse foederata: Gerara quippe, quae colonum eiciens interpretatur, superbiam designat, quae angelum et hominem à suis sedibus eiecit et in alienis finibus peregrinari fecit. unde psalmista cum orasset dicens: *non ueniat mihi pes superbiae: et manus peccatoris non moueat me,* ut ostenderet eandem superbiam totius ruinae uel expulsionis esse causam, subiunxit et ait: *ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.* quia igitur non solum in transitoria diuitiarum seu dignitatum affluentia, sed et in uirtutum copia incautis surrepere solet superbia, tam in profectu conuersationis quam in initio conuersationis una et eadem semper contra illam

6. Gen. 20, 8. — 10. ibid. 9. — 30. Ps. 35, 12. — 33. Ps. 35, 13. — 35. surripere. cod.

uigilandum est instantia. quis enim de loci munimine, de propositi celsitudine, de uitae perfectione securus esse possit, cum haec singularis nequitiae uiolentia caelum inuaserit, tot angelorum agminibus spoliauerit, paradisum quoque suis colonis et custodibus destituerit?

CAPITVLVM VI.

De Jacob luctante cum angelo.

Jacob, cum a Mesopotamia Syriae ad suos rediret, superatis persecutionibus, quas Laban molitus fuerat, hostibus a tergo insequentibus alias a fratre tamquam hostes obuiam uenientes sustinet. quibus angustiis circumsaeptus dum coepto pergeret itinere, ut scriptura testatur, fuerunt ei obuiam angeli Dei. quos quam scienter susceperit, ipsius testantur uerba quibus ait: *castra Dei sunt haec:* sciebat enim ista militiae caelestis castra in sui praesidium diuinitus directa. et ut a generatione in generationem gratiae huius commendaretur memoriale, nomen loci illius, quo apparuerant angeli, Manaim, id est castra, curauit appellare. congruum autem Deoque dignissimum uidebatur consolationis remedium, ut in illo necessitatis articulo Jacob angelico cingeretur choro, cum omni humano destitutus auxilio fratris etiam laborabat odio.

Talibus enim pietatis suae indiciis hoc maxime diuina insinuare uoluit prouidentia, numquam paratius et largius supernae illustrationis uisitationem nobis impendi, numquam gratius illam a nobis suscipi, quam cum pro iustitia et ueritate tribulationibus nos et angustiis contigerit affligi. unde psalmista: *si ambulauero,* inquit, *in medio tribulationis, uiuificabis me: et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et saluum me fecit dextera tua.* tunc enim fidelis anima, quae dicere audet: *conscius meus in excelso,* more columbae, quae extrinsecus, ubi requiesceret pes eius, non inuenerat, ad conscientiae arcam conuolat: ibi tanto purior ad suscipienda internae dulcedinis secreta redditur, quanto districtius afflicta a peccatorum sordibus expurgatur. quocirca gratulandum uobis, dilectissimi, de paupertate uoluntaria et temptationum quas sustinetis angustia, quoniam eo largior

14. Gen. 32, 2. — 29. Ps. 135, 7. — 30. Job 16, 20.

beatitudini uestrae ad susceptionem dilecti accumulabitur gratia. cum enim nec specialem illam persecutionem uobis deesse uoluerit, quam electus iste patriarcha pertulit, ut uidelicet a falsis quibusdam fratribus hostile patiamini odium, a quibus fraternum expectare debueratis obsequium: cui ambigere liceat, quod ad solatium laboris uestri frequentius illa sanctorum angelorum castra dirigat? tanta quippe persecutionis pressura laboratis, ut si Jacob, immo apostolorum, exemplo in hac parte uti uobis licuisset, iam olim de loco ad locum fugere necessitas ipsa uos compulisset.

Sed quia regularis uitae institutione cohibemini, ut loci mutatione huiusmodi calamitates non facile declinare possitis, quid restat nisi ut illi ex integro uos committatis, qui ad se confugientibus turris est inuictae fortitudinis? nam et Jacob multo magis incumbendo precibus, quam fugiendo pedibus elaborauit, ut fratrem placatum inuenire mereretur. denique post fugam rediens quid egerit, quidue nobis spiritualiter agendum praefigurauerit, recolamus. cum obuiam, ut supra dictum est, habuisset angelorum cateruam, et pro ereptione sua orationem ad Deum fudisset intentissimam, muneribus ad germanum praemissis, *mansit nocte illa in castris. cumque mature surrexisset, transiuit uadum Jaboc. transductisque omnibus, quae ad se pertinebant, remansit solus.*

Qui Jacob nomine dignus est, ut scilicet uitiorum supplantator esse ualeat, nocturno tempore in castris pauidus manet, dum inter uitae huius temptationes, ubi utrum amore an odio dignus sit nescit, intra timoris et continentiae munimina se cohibet. scit enim quia uadum Jaboc sese transire oporteat, siue in uno quolibet loco maneat, siue de ciuitate in ciuitatem persecutionis metu transfugiat. Jaboc lucta uel harena interpretatur, in quo conflictus uel confligendi locus, mundus scilicet et temptatio eius intelligitur. quocumque igitur fugiamus, quocumque terrarum sinu delitescamus, quamdiu in corpore subsistimus, mundi temptationes euadere non ualemus. sed quia eadem harena uadum dicitur, prouentus a Deo cum temptatione futurus innuitur. mature surgit, qui de leuitate cogitationis, manu grauitatis se subrigit; omnia quae ad se pertinent transducit, quando spem et totius uir-

23. Gen. 32, 21—24.

tutis fructus in caelesti portu constituit. qui ergo sic solus remanet, id est nullam suarum uirium confidentiam habet, sed dicere Deo cum propheta potest: *anima mea desiderauit te in nocte: sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane uigilabo ad te,* iste dignum se gratiae diuinae susceptorem exhibet.

Sed uideamus, quid sibi uelit colluctatio Jacob cum angelo, quem non solum quasi uisitantem suscepisse, sed uelut inuitum usque ad mane uidetur detinuisse. sic enim ipse angelus tamquam uiolenter detentus expostulat dicens: *dimitte me, iam enim ascendit aurora. respondit: non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* o admirandae uiolentia deuotionis, o magnae praesumptio caritatis, uere *fortis ut mors dilectio.* felices qui talibus probant experimentis, quanta sit huius efficacia fortitudinis. alii apparentes sibi angelos nec respicere quidem uel alloqui audent, alii suppliciter primum adorant, et ita se audiendis eorum responsis humiliter adaptant. iste apparenti audacter congreditur, et ne citius abscedat quem desiderauerat, iniectis manibus remorari conatur. magnus ille angelorum susceptor Abraham, dimissurus hospitem, diutina confabulatione moras protrahit, non tamen uim facit: iste quem susceperat, nec de loco quidem moueri permittit. ille, quousque diuini iudicii sententiam percontando edisceret, a colloquio non cessauit; iste, donec optatam consequeretur benedictionem, angelum non dimisit. nec immerito in hoc congressu adeo contentiosus erat, qui etiam ante ipsa natiuitatis suae exordia luctandi exercitium habuerat. dicat igitur Osee propheta, qualiter et in illo certamine fratrem et in isto angelum superauerit: *in utero supplantauit fratrem suum: et in fortitudine sua directus est cum angelo. et inualuit ad angelum et confortatus est; fleuit et rogauit eum.* uere hoc est fortissimum luctandi genus, quo flecti et superari creditur ipse angelorum Dominus, cum scilicet lacrimis insudamus et precibus. si sic, o dilectissimi, contra Deum fortes fueritis, quanto magis contra eos, quorum supra memini, Esau imitatores praeualebitis? susceptus enim a nobis sponsus teneri se nec cito dimitti delectatur, licet ad probandam perseuerantiae nostrae uirtutem aliquamdiu reluctari uideatur. quod et dilecta quaedam fiducialiter affirmat dicens:

4. Is. 26, 9. — 10. Gen. 32, 26 et 27. — 12. Cant. 8, 6. — 29. Os. 12, 3—4.

tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae; ac si cum Jacob luctando dicat ei: *non dimittam te nisi benedixeris mihi.* neque enim perfecta est eius susceptio, nisi consequatur et mansio, ut impleatur, quod amatori suo polliceri dignatus est dicens: *ueniemus et mansionem apud eum faciemus.*

CAPITVLVM VII.

De Balaam.

Inter innumeras uitae huius miserias duae sunt temptationes infirmitatem nostram prae ceteris specialius et uehementius infestantes, timoris uidelicet et cupiditatis. timorem autem illum dico, quo innocentes terrentur a nocentibus innocentiae persecutoribus, quibus perditae innocentiae suae non sufficit detrimentum; nisi etiam aliorum innocentia huius detrimenti sustineat periculum. huiusmodi timore Jacob coartatus erat, cum ob inuidi fratris hostiles minas fugae praesidium petebat. sed cum iubente Domino in terram natiuitatis suae, ut supra dictum est, reuerteretur, et necdum antiquum illius furorem sedatum suspicaretur, idcirco ab angelis sibi obuiantibus uisitatur, ut eorum solatio timoris anxietas pelleretur. nam et angelus ille, cui colluctabatur, ob eandem causam se ab eo uinci permisit, ut uidelicet fratris iracundiam simili fortitudine superandam ostenderet. sicut ergo diuina uisitatio Jacob contra timorem, ita Balaam est exhibita contra cupiditatem. sed quia dissimiliter ab utrisque suscipitur, dissimiliter nimirum in eis operatur: iste, quia digne illam suscepit, usque ad necessariae fortitudinis robur ex eius gratia profecit; ille, quia indignum sese praebuit susceptorem, nec superauit cupiditatem nec euasit damnationem.

Ita iuxta susceptionis nostrae deuotionem, diuinam in nobis fructificare credimus uisitationem. nonne hoc et in superioribus elucet exemplis, ubi iuxta dispares meritorum gradus, Abraham per susceptionem angelorum prophetiae dono ditatum, Loth ab incendio ereptum, Abimelech ostendimus ab ignorantia correctum? sed quia horum consideratione demulcemur, uideamus etiam unde terreamur, quia et haec ut illa ad doctrinam nostram

2. Cant. 3, 4. — 6. Io. 14, 23.

scripta perhibentur. cum primum legati regis Balac diuinationis pretium in manibus portantes ad Balaam uenissent, ut hunc ad maledicendos filios Israel conducerent, ille uiso cupiditatis suae negotio manere eos secum rogauit, donec uideret, quid responderet ei Deus. manere apud se Deum non inuitat, cuius tamen responsa expectat, qui mansionem hominibus parat, a quibus diuinationis pretium sperat; illorum petitionem suscipit, Dei iussionem contemnit. uenit enim ad eum Deus et dixit ei: *quid sibi uolunt homines isti apud te?* non solum uenire dignatur, sed et prior negotii causam percontatur, quo ad agnitionem et confessionem culpae reus ex ipsa requisitione prouocetur. repetit antiquum pietatis suae opus misericors et miserator Dominus, quasi deambulans in paradiso, et peccatoris requirens latebras ac dicens: Adam *ubi es?* sed neuter ad paenitentiae remedium confugit. hic tamen exposita legationis causa maledictionis interdictum accepit, eo quod populus, ad quem maledicendum uocabatur, benedictus fuerit. et quia non licebat, quod libebat, nuntios quidem sine petitionis suae effectu remisit, propriae tamen cupiditatis affectum non dimisit. nam cum Balac rursum plures et nobiliores legatos ad eum direxisset et ampliorem illi honorem spopondisset, iterum si fieri posset, quod prohibitum fuerat, temptabat; ait enim nuntiis: *obsecro* uos, manete *hic etiam nocte hac.*

Tandem ut impleretur hoc, quod ipse Dominus terribiliter contestatur dicens: *dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis,* ait illi: *si uocare te uenerunt homines isti, surge et uade cum eis, ita duntaxat, ut quod tibi praecepero facias.* sed ut intelligeret, licentiam hanc non iubentis sed permittentis et irascentis esse, angelum in uia euaginato obsistentem sibi gladio inuenit, ut sero saltem ab incepto desistens praeuaricator ad cor redeat, et totiens repulsum cupiditatis suae correptorem gratanter aliquando suscipiat. ipse tamen contempta correptione, coepto audaciae impetu quasi equus effrenis per iniquitatis rapitur abrupta. nam cum peruenisset, quo uocatus fuerat, daemonibus aras erigi et sacrificia imponi fecit; inde ad consulendum Dominum perrexit. o inaestimabilis Dei patientia,

9. Num. 22, 9. — 14. Gen. 3, 9. — 23. Num. 22, 19. — 26. Ps. 80, 13. — 28. Num. 22, 20.

et gratuita super ingratos beneficiorum eius affluentia! prophetiae dono peruersus infunditur, mysticis eloquiis ab eo, cui honorem deferre contemnebat, honoratur, larga Dei bonitate malo suo malus abutitur. post omnia quippe illa diuinae dignationis monita, post accepta largitatis eius beneficia, cum pluribus iam experimentis didicisset, quod a Deo benedictis maledicere non posset, fraudulento nocet consilio, quibus praeualere non permittebatur maledicto. ubi patenter ostendit, sublatam quidem sibi maledictionis potestatem, malam uero non defuisse uoluntatem. itaque totam hanc diuinae uisitationis dispensationem ad damnationis suscepit cumulum, non ad correctionis adiutorium.

Sed utinam illius correptio nostra fiat emendatio, nobisque proueniat ad aedificationem, quod illi creuit ad condemnationem! fidelibus namque scribens apostolorum princeps et prauorum uias redarguens, ut ab eorum nos imitatione deterreat, ait: *derelinquentes rectam uiam errauerunt, secuti uiam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit, correptionem uero habuit suae uesaniae, subiugale mutum animal, hominis uoce loquens, prohibuit prophetae insipientiam.* bene autem in Bosor habitare dicitur Balaam. ipsa quippe interpretatio nominum iniquitati eius perhibet testimonium: Balaam siquidem uanus populus, Bosor interpretatur tribulatio; et quae congruentior uanitatis habitatio, quam illa, quae ab apostolo commemoratur, ubi ait: *ira et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum?* anima enim a suscipienda sui auctoris suauitate alienata et hic amara semper inquietatur conscientia, et in futuro pro delectatione transitoria aeternae amaritudinis sentiet tormenta. uerum ut in nobis compleatur, quod scriptum est: *pestilente flagellato sapientior erit paruulus*, deuotionis nostrae affectum moueat incorrecti huius Balaam contemptus. ad effugandam a nobis cupiditatem sanandosque reliquos animarum nostrarum languores saluatoris nos gratia uisitari optemus, eumque tam corripientem et minis terrentem quam promissis blandientem iucundo semper susceptionis apparatu honoremus. porro uos, dilectissimi, considerantes hunc hariolum tanta prophetici spiritus sublimitate insignitum, contempto muneris largitore,

19. II. Pet. 2, 15 sq. — 25. Rom. 2, 8 et 9. — 29. Prou. 19, 25 et 21, 11.

ipsam quoque gratiam uiuendo conculcasse, in acceptis charismatum donis sollicita timoris utimini circumspectione, quia haec etiam reprobis licet ad iudicium cernitis communia esse.

CAPITVLVM VIII.

De Gedeone.

Gedeon Israeliticae plebis ducatum Domino iubente susceptturus, magno prius reuerentiae ac deuotionis studio supernae uisitationis gratiam suscepit. et recte ipse primus prae ceteris diuinitus illustratur, cuius triumpho tota gens illa diutinae seruitutis iugo eripienda erat. huius autem illustrationis ordinem te, pater uenerande, cuius iudicio opusculum hoc examinandum est, crebro attendisse non ambigo, cum tanta Deo militantium turba tuo credita sit magisterio. nisi enim et tu cum Gedeone ante susceptam principatus curam diuinae uirtutis solatio roborari meruisses, nequaquam in ipso spiritualis militiae ducatu tam exercitatum hostem totiens in fugam uertisses. proinde quaecumque hic breuiter annotauero, tibi tamquam certam ex ipso conuersationis tuae ordine in his habenti experientiam coram fratribus nostris latius explicanda relinquo.

Filii Israel cum fecissent malum coram Domino, *tradidit eos in manu Madian septem annis*, et afflicti sunt ualde ab eis. cumque humiliati clamassent ad ipsum, solitae eius clementiae perceperunt auxilium: *uenit* enim *angelus Domini et sedit sub quercu, quae erat in Ephra, et pertinebat ad Joas patrem familiae Ezri.* angelum hic audiens sub arbore consedisse, reminiscor etiam Abraham angelos hospitalitatis officio honorandos ad requiescendum sub arbore inuitasse, ipsumque conuescentibus eis sub umbra eadem astitisse. de iusto quoque scriptum est: *et erit* tamquam *lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit, cum uenerit aestus,* unde typice innuitur: suscipiendo dilecto praeparandum in nobis umbraculum, extinctis uidelicet uirtute continentiae incentiuis uitiorum. ita enim et ipsa uirgo uirginum, quae incomparabiliter illum suscipere meruit, ab angelo audiuit: *uirtus altissimi obumbrabit tibi.* uideamus deinde quid operis habuerit Gedeon, cum apparentem

25. Conf. Jud. 6, 1—11. — 30. Jer. 17, 8. — 34. Luc. 1. 35.

sibi angelum suscipere meruit. excutiebat atque purgabat frumenta in torculari, ut fugeret Madian. frumenta excutere uel purgare est discernendo uirtutes a uitiis separare. exteriori ergo sua operatione indicat, quid uel sibi uel omnibus diuinae gratiae uisitationem expectantibus agere conueniat. eidem enim officio etiam illa ostiaria Isboseth deputata fuerat, qua sopore depressa, filii Remmon tollentes spicas domum latenter ingressi sunt.

Quod ne quando nobis eueniat, Gedeonis exemplo purgatis uirtutum fructibus et intra conscientiae horrea reconditis ad Deum confugiamus. nam per illius gentis oppressores animarum nostrarum inuisibiles praefigurati sunt persecutores. torcular etiam, in quo Gedeon inuentus dicitur, tam nostram quam illorum indicat pressuram; in qua ad hoc usque per patientiam singuli certatim eniti debemus, ut suscepto ereptionis nostrae auctore consolatoriam illam salutationis uocem nobis quoque congruere gaudeamus, qua illi dictum est: *Dominus tecum uirorum fortissime.* sed audiamus, quid fortissimus ille, qui prior his honoratus est uerbis, ad haec responderit, quam idoneum se ad suscipiendum populi principatum ostenderit. ait enim: *obsecro Domine mi, si Dominus nobiscum, cur apprehenderunt nos haec omnia? ubi sunt mirabilia eius, quae narrauerunt patres nostri atque dixerunt: de Aegypto eduxit nos Dominus? nunc autem dereliquit nos et tradidit in manus Madian.* dictum illi fuerat: *Dominus tecum*, et consequenter, ut dignus tanto cohabitatore ostenderetur, speciali fortitudinis praeconio ceteris praefertur. sed haec licet praecipua ei tamen, qui non quae sua sed magis quae aliorum sunt quaereret, nequaquam sufficere uidentur. angelo enim dicente: *Dominus tecum*, non respondit: si Dominus mecum, cur apprehenderunt me haec omnia? sed quasi oblitus sui, non acquiescens laudi nec satisfaciens salutationi, causam confestim in se suscipit populi, gratiam exhibet patrocinii, ac si dicat: quanta est mea salus, nisi saluetur et populus tuus? quid iuuat praedicari fortitudinem meam, nisi etiam hereditas tua Israel contra inimicos accipiat potentiam?

Hunc, pater dilectissime, Gedeonis affectum melius in temetipso recognoscis, haec eius uerba certius in conscientiae tuae

17. Jud. 6. 12. — 24. Jud. 6. 13.

annotasti pagina, quam in ista exarari possint schedula. credo etiam iuxta cognitum mihi deuotionis tuae feruorem, quod inter solita precum suffragia, quibus pro filiorum tuorum excessibus frequenter inuigilas, famosissimam illam Moysi nonnumquam arripueris orationem, qua uelut contra Deum erectus ait: *aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti.* talis enim praeclari Gedeonis fortitudo praedicatur, per quam ei uictoria diuinitus spondetur, cum dicitur: *respexit ad eum Dominus et ait: uade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian.* ecce quod psalmista protestatur dicens: *quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in caelo et in terra.* ipse namque, qui fortissimus uirorum dictus fuerat, hanc eandem fortitudinem praecipue in humilitate fundatam ex consequentibus declarat. qui cum laudis suae praeconium audisset atque a Domino uictoriae certitudinem accepisset dicente: *scito quod miserim te,* continuo respondit: *obsecro, Domine mi, in quo liberabo Israel? ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei.* ab angelo salutatus et laudatus ad obtinendam ex hostibus uictoriam dirigitur, et tamen minimum, se et ex infimis ortum parentibus profitetur. merito igitur angelorum confabulator et dominicae usitationis susceptor efficitur, ipso Domino affirmante et dicente: super *quem uero requiescam, nisi* super humilem et quietum, *et trementem sermones meos?*

CAPITVLVM VIIII.

Item unde supra.

Non inmerito ad considerationem praeclari ducis et iudicis Gedeonis te, pater uenerande, specialiter inuitaueram, in quo tantam insignium exemplorum repperimus copiam. quia enim ad suscipiendum dilectum exornare desideramus cordis habitaculum, necessario quaerendarum nobis incumbit diligentia uirtutum. uacuos enim et otiosos deserit, laborantibus benigno fauore occurrit. proinde, quae residua hic uidentur, quo coepimus studio prosequamur, ea dumtaxat, quae et materiae nostrae congruant, et uirium mensuram non excedant.

6. Ex, 32. 31. sq. — 10. Jud, 6, 14. — 12. Ps. 112, 5. sq. — 18. Jud. 6, 14. sq. — 23. Conf. Is. 66, 2.

Domino ad Gedeonem respiciente et fiduciam ei dante ac dicente: *ego ero tecum: et percuties Madian, quasi uirum unum,* ille respondit: *si inueni,* inquiens, *gratiam coram te, da mihi signum, quod tu sis, qui loqueris ad me. ne recedas hinc, donec reuertar ad te, portans sacrificium et offerens tibi.* eiusmodi prudentiae cautela etiam Josue usum legimus, qui apparentem sibi angelum et euaginatum tenentem gladium, non statim suscepit ut adiutorem, sed caute percontatus est dicens: *noster es, an aduersariorum?* quibus exemplis necessaria nobis discretionis uirtus insinuatur, ne uidelicet omni spiritui credamus, sed probemus spiritus si ex Deo sunt. sciebant enim sancti patres eum, qui per serpentem locutus est parentibus primis, aliquando etiam transfigurare se in angelum lucis, ideoque interdum suscipiendis difficiles erant spiritibus bonis, ne quando incircumspecti seducerentur a malis. uerum quia filiis ecclesiae prudentissimis hac olim iam prudentia pollentibus stricta horum sufficit commemoratio, uideamus nunc et de Gedeonis sacrificio. neque enim susceptum pacis legatum ullatenus dimittere poterat, nisi piae placationis oblatione honorasset, nobis utique insinuans, quam paratos nos semper ad suscipiendum Deum habere oporteat hostias.

Talis ergo sacrificii eius fuit modus: haedum coctum et azimos panes sub quercum deferens, iussu angeli supra petram posuit, et ius carnium desuper fudit, ignisque de petra exiens cuncta haec illico absumpsit. sub arbore Abraham angelis ministrauerat, et ecce iterata sacramenti figura sub arbore iste sacrificat. nouerant enim patriarchae uerum quandoque sacrificium in ligno consummandum, et hostem qui uicerat per lignum in ligno crucis reuincendum. haedum a nobis in sacrificio cum azimis sinceritatis immolandum apostolus insinuat dicens: *hoc scientes quia uetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati,* ut *ultra non seruiamus peccato.* corpus nostrum, corpus peccati est, quia nos ad peccatum per suggestionem et concupiscentiam pertrahit. quod corpus non ita praecipit apostolus destrui, ut omnino deficiat, sed ut a peccati opere quiescat. tunc enim quasi destruitur, et lasciuus ille haedus bene immolatur, cum per disciplinae uigorem a uoluptatibus refrenatur, nec peccato seruire permittitur. ius quod simul offertur, liquor uidelicet

5. Jud. 6, 16—18. — 9. Jos. 5, 13. — 31. Rom. 6, 6.

de pinguedine carnis manans, concupiscentiae illecebras exprimit, quibus illi in Aegyptum retrahebantur, qui dicebant: *utinam mortui essemus per manum Domini in terra Aegypti, quando sedebamus super ollas carnium, et comedebamus panes in saturitate.* ad nihilum uero uniuersae sacrificiorum nostrorum expensae rediguntur, nisi petrae, id est Christo, superponantur, et fidei ac dilectionis eius soliditate muniantur. neque aliter igne illo, de quo ait: *ignem ueni mittere in terram,* absumi possunt, ut dicere nobis liceat cum propheta: *igne me examinasti, et non est inuenta in me iniquitas.* scis ipse melius pater, quod hanc potissimum sacrificii hostiam praemittere debeat, quem diuina gratia ad suscipiendum populi sui regimen praeparat, ut uidelicet haedum, id est carnis lasciuiam, conterat et extinguat. mature satis in corde tuo ille Dei digitus ordinem istum descripserat, qui etiam in edendis agni paschalis carnibus ita praecipitur: *renes uestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus tenentes baculos in manibus,* ac si dicatur: uirgam curae pastoralis continentia praecedat castitatis, sumptis in usum uitae sanctorum patrum exemplis, quasi speciosis ad munimen gressuum calceamentis. tali enim ordine ad regiminis gradum ipse, per quem reges regnant, beatitudinem tuam prouehere uoluit, qui tibi ab ipsis infantiae annis conseruandae castitatis uotum inspirauit, et ad sequenda sanctorum uestigia prosperum iter concessit.

Quaeramus tandem, quid Gedeon iste sonet in nomine, cuius tantum erudimur operatione. interpretatur enim experimentum iniquitatis eorum. frequentibus quippe signorum documentis informatus est, quali praesagio futuram contra hostes uictoriam experiretur, et de hoc experimento etymologiam nominis sumpsit. nos itaque tam nominis quam operis eius participes fieri satagamus, ita sane, ut a praecipitationis uitio consilii maturitate reuocemur; ne temere coepta consummare non valentes, uirium nostrarum mensuram sera nimis experientia cognoscamus. omni etiam sagacitatis industria ad hoc nostrum inuigilare oportet exercitium, qualiter de bello contra inuisibiles aduersarios nobis proposito capere ualeamus triumphum. quod si per susceptum pacis principem ad uotum nobis prouenerit, tunc demum uigilantiori circumspectione opus erit, ne de subiec-

5. Ex. 16, 3. — 8. Luc. 12, 49. — 10. Psal. 16, 3. — 17. Ex. 12, 11.

torum uictoria uitiorum deterior succedat ruina uirtutum. ecce enim de egregio hoc Israeliticae gentis duce post omnia illa uirtutum eius insignia scriptum est: quia sumens inaures aureas de praeda hostium *fecit* inde *Ephod, et posuit illud in ciuitate sua Ephra:* statimque subiungitur: *fornicatusque est omnis Israel in eo, et factum est Gedeoni et omni domui eius in ruinam.*

Taedet me ruinae huius miseriam pluribus exaggerare uerbis, cum haec eadem multiplicibus ad commonitionem nostram pateant exemplis. uideo enim electum illum angelorum susceptorem Loth uirtute admirabili Sodomitarum superasse incendia, et postmodum ebrietatis uitio in profunda deceptionis mersum fouea. Salomonem nihilominus sapientiae incomparabilis susceptorem obstupesco, quem luxuriae intemperantia idolatriae tradidit baratro. non enim prodest nos laetis floruisse principiis, si peccati ariditate deficiamus in nouissimis. tu ergo Domine, qui solus es bonus, qui gratuita nos bonitate praeuenisti, et usque in hanc horam pie subsequendo deduxisti, memor esto uerbi tui seruis tuis, in quo nobis spem dedisti dicens: *non uos relinquam orphanos, ueniam ad uos. ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima et antiqua,* tu cognouisti figmentum nostrum: recordare quia puluis sumus, et ne irruente temptationis uento rapti et dissipati cum impiis a facie terrae proiciamur, manu misericordiae tuae perpetuo consolidemur.

CAPITVLVM X.

De Manue.

Erat uir quidam de Saraa et de stirpe Dan nomine Manue, habens uxorem sterilem. cui apparuit, angelus Domini et dixit ei: sterilis es et absque liberis, sed concipies et paries filium. locus capituli huius aliquotiens me ad considerationem propriae infirmitatis permouit, quia ad correptionem barbatorum et debilium speciale quoddam infirmioris sexus praeconium ostendit. non enim uir, quamquam caput sit mulieris, prior hic diuinae reuelationis arcanum suscipit, sed mulieri commendatum ita demum illa indicante cognoscit: Sara quidem intra tabernaculum manente

6. Conf. Jud. 8, 22, sqq, — 19. Io. 14, 18. — 20. Ps. 138, 5. — 28. Jud. 13, 2. sq.

Abrahae de foris dicitur a Domino: *habebit Sara filium*, hic autem ordine mutato, ut etiam infirmioris sexus dignitas ostendatur, mulier caelitus sibi promissum uiro nuntiat partum. quibus auditis cum orasset Manue ad Dominum, ut eundum uidere mereretur nuntium, iterato angelus non ei sed uxori apparuit, illaque festinans maritum aduocauit. sicque bis illo absente angelicam uisionem excipere meruit.

Cuius exempli forma quo referatur, nostis et bene nostis, quia non alta sapientes sed humilibus consentientes estis. ideo enim bene uos nosse dico, quoniam ad ruinam magis quam ad gloriam est bonorum notitia uel experientia, nisi humilitate fuerit praeuenta. licet ergo ad uerecundiam mihi sit quod dico, tamen silentio praeterire non audeo, quia etiam me tacente hoc iam dudum proclamatum est in publico. in susceptione angelorum, immo domini et regis ipsorum, quam plurimos uirorum mulieres sanctae praeueniunt, quae ad suscipienda uel implenda, sacrae legis mandata paratiores se exhibent. de me enim mihique similibus, qui peccatorum pondere praegrauamur, ne ad suscipiendum Deum debita alacritate occurramus, propheta queritur dicens: *uidit Dominus, et malum apparuit in oculis eius, quia non est indicium, et uidit, quia non est uir, et aporiatus est, quia non est qui occurrat.* debueramus quippe nos, qui uiri dicimur, uiriliter agere, et sexu naturaliter fortiores ad ipsius etiam occursum promptiores esse.

Sed dum euagamur et rebus transitoriis contra propositum nostrum immoderatius occupamur, susceptam ab infirmiore sexu occultae uisitationis gratiam sentire non meremur. ueniunt ad sanctas uirgines angeli, conciues et cognati earum, quia cognata est angelis uirginitas, consolantur sterilitatis luctum, spondent eis affuturum sine integritatis dispendio partum: ac si dicant: *felix* quidem *sterilis et incoinquinata, quae nesciuit torum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum;* quam tamen iuxta apostoli sententiam saluari oportet *per filiorum generationem,* id est bonorum operum propagationem. quid uero dicam de obseruantia abstinentiae, quae uxori Manue iniungitur, ut munditia praeuentus uentris eius fructus digne Deo consecretur? illi ne uinum aut siceram bibat, et ne aliquo uescatur im-

1. Gen. 18, 10. — 22. Is. 59, 15. sq. — 32. Sap. 3, 13. — I. Tim. 2. 15.

mundo, ad breue tempus praescribitur; illarum autem abstinentiae cultus longe districtior et multiplicior perpetua lege sancitur. magni enim laboris tolerantiam, magnae perfectionis munditiam illarum conceptus exigit et partus, de quo cum propheta gratulantes dicunt: *a facie tua, Domine, concepimus, et quasi parturiuimus, et peperimus spiritum salutis.* hic partus immortalis nequaquam Dalilae circumuentione tradetur Philisthaeis, nec obprobrium incurret caecitatis. Samson ille Manue filius interpretatur sol eorum uel solis fortitudo, eo quod uirtute clarus populum suum ab hostibus liberauerit. uirginalis autem munditiae fructus solis ipsius radios claritate sua euincit. cuius interuentu ita propitiante Deo liberantur, ut nequaquam sicut Israel ille post mortem iudicis inuisibilium hostium captiuitati addicantur.

Sed redeamus ad Manue et uxorem eius, et qualiter susceptum honorauerint uel dimiserint angelum uideamus. Manue hortatur eum ut sumat cibum, facere ei uolens haedum, quem ille Domino magis offerri iubet in holocaustum. neque enim idem Manue tanti fuisse uidetur meriti, ut ea familiaritate angelis mereretur iungi, qua cum Abraham et Loth referuntur conuiuati. tulit tamen haedum cum libamentis et posuit supra petram offerens Domino, ut et de Gedeone supra dictum est. sed angelo manifeste ad caelum redeunte, Manue uisione eius perterritus ait: *morte moriemur, quia uidimus Dominum;* quem uxor protinus consolatur dicens: *si Dominus nos uellet occidere, de manibus nostris holocaustum et libamenta non suscepisset.*

Ecce iterum debilitatis meae pudore confundor, dum hoc exemplo femineae fortitudinis reminiscor. quo enim attentius infirmioris sexus intueor gloriam, eo ueracius propriam recognoscere cogor ignominiam; quod tamen non infructuosum mihi spero, quia dum ea, quae in me mihi displicent, frequentius respicio, in quantum Deo adiuuante ualeo, emendationi meae inuigilo. merito mulier haec prior angelum suscepit, ad cuius aspectum non solum ipsa non trepidat, sed et uirum trepidantem consolando roborat. quid est autem quod in uisione angelica ipsa tam audax et uir tam pauidus inuenitur, nisi hoc quod mihi aliisque negligentibus de eiusdem sexus uirtute mirandum proponitur? infirmiores enim adulescentulae ad sectandam in terris angelicam

6. Is, 26, 18, sq. — 25. Jud. 13, 22. sq.

uitam per oblatum Deo uirginitatis uotum audenter accedunt, nos uero ad appetendum tantae sublimitatis gradum trepidi ac pigri, utinam uel in communibus diuinae legis praeceptis aliquanta innocentiae obseruantia conuersari studeamus. illarum audaciam ipse, quem expugnare moliuntur, horret inimicus, sicut de sancta Judith earum exhortatrice scriptum est: *horruerunt Persae constantiam eius, et Medi audaciam eius.* aluerat quippe audaciam hanc iuxta ritum uirginalis custodiae intra continentiae claustra, quae fecisse sibi fertur in superioribus domus suae secretum cubiculum, immo oratorium, in quo cum puellis suis clausa morabatur. illic enim uiduitatis suae consolatorem praestolabatur, sciens quia bonum est praestolari cum silentio salutare eius. unde et apud Holofernem eiusdem secreti gratiam et solitae orationis licentiam obtinere meruit, donec inuictum ceteris sancta calliditate circumuenit, et fiducialiter triumphauit. haec sunt fratres mei, haec sunt utilissima religionis nostrae et conseruandae humilitatis incitamenta: semper in aliis considerare sublimiora, neque cordis oculos ab intuenda deflectere infirmitate propria.

CAPITVLVM XI.

De prima uerbi incarnati susceptione.

Praemissis antiquorum patrum exemplis, quibus ostendere uolui, quales se susceptores diuinae obtulerint uisitationi per angelos apparenti, nunc qualiter ipse summi patris unigenitus in forma serui a seruis uel susceptione debita honoratus uel contemptui habitus, et ab ipsis quos inhabitare uenerat exclusus fuerit, libet intueri. in hac enim parte euidentiora deuotionis incitamenta reperiemus, utpote qui de umbra legis ad lucem ueritatis transierimus. prioribus quippe saeculis per angelos Deus apparuit, nobis per coaeternam sibi sapientiam in carne apparentem innotuit: illis figurarum aenigmata proposuit, nobis diuinitatis suae secreta reuelauit. equidem prima unigeniti Dei susceptio adeo est ineffabilis et incomparabilis, ut hanc perscrutari mens humana non audeat, sensus obstupescat, lingua deficiens obmutescat. sola fides tanti aliquatenus capax est mysterii, quod ipsa fidelium deuotio uix digna ueneratione ualet ampleeti. et quam

7. Judith. 16, 12. — 16. utillima cod.

congrue pro hac susceptione praemittitur angelus metator utique uenturi regis inuictissimus! unde et Gabriel, id est fortitudo Dei, est appellatus, ut ipsius legatione fideliter suscepta, mox susciperetur et Dominus. quando autem Galilaea huius tam ineffabilis gratiae primordiis consecrari potuisset, nisi in se Nazareth ciuitatem, et in ipsa aulam uirginalem, diuinae mansioni singulariter conuenientem habuisset? Galilaea quippe rotam sonat, ac per hoc incertam huius uitae uolubilitatem insinuat. Nazareth autem flos interpretatur, quo nomine uel ipse qui ait: *ego flos campi,* uel inmaculata eius genetrix omnigenis uirtutum floribus adornata praefigurabatur. nisi ergo florida haec uirgula de radice Jesse egressa inuenta fuisset in Galilaea, semper sine spe stabilitatis futurae uolueretur mortalitatis nostrae rota. nisi enim ipsa prior in sanctissimo eum sui corporis hospitio suscepisset, numquam nobis suscipiendae ipsius gratiae facultas data fuisset. neque sibi neque cuiquam hominum illi egregii dominicae uisitationis susceptores, antiqui uidelicet patres, sine hac prodesse poterant, qui cum ceteris omnibus, tam praecessoribus quam successoribus suis, unicam sanctissimae susceptricis huius interuentionem expectabant.

Abraham pater eius hanc esse terram diuinitus sibi promissam in spiritu prospiciebat, huius terrae pinguedinem Isaac in benedictione filii sui Jacob praeoptabat, hanc terram tanta benedictionis ubertate infusam, ut per eam totius humani generis captiuitas auerteretur, Dauid prophetando perhibebat. quia enim sancta haec et inmaculata uirgo Dei filium ad redimendam captiuitatem nostram concipere ac generare meruit, inde sanctae uniuersali ecclesiae donatum est, ut in Nazareth, id est in florido religionis exercitio constituta, ad euincendas captiuantis inimici uersutias uerbum Dei concipiat, et fructum iustitiae pariat. hinc et uirgines eius, utique filiae speciales, specialis exempli formam sumere meruerunt, ut suscipiendo quem ardentissime desiderant sponso, tranquilli pectoris hospitium offerant dicentes: *lectulus noster floridus.* hinc et ceteris fidelibus, quorum tamen fides sine operibus mortua non sit, sollemnis illa susceptio praestatur, ut idem ipse, qui de uirgine natus est, totiens ab eis suscipiatur, quotiens mensae caelestis immortali alimonia reficiuntur.

Verum o mundi domina, de qua nobis tanta profluxerunt

9. Cant. 2, 1. — 34. Cant. 1, 15.

et profluere non cessant beneficia! quis tuae sanctitatis contemplari ualeat celsitudinem, quis uirtutum pensare quantitatem, quibus ipsa Dei patris sapientia aulam in te adornare uoluit uirginalem, ut ei dignam praestare posses habitationem? ipsius solummodo est scire, cui omnium patent conscientiae, qua uirtutum gloria, quanta ipsius gratiae affluentia, ad tanti culminis arcem fueris prouecta, quantum Abel supergressa sis in innocentia, Enoch in actionis munditia, Abraham in oboedientia, Moysen in mansuetudine, Job in uirtute patientiae, aliosque sanctorum in fide spe caritate, ac uniuersa bonorum exercitatione. de humilitate uero quid dicam, quam solam prae ceteris bonis ab ipso cordium scrutatore in te confiteris respectam? uere, quia sceptrum susceptura eras regni caelorum, humillima fuisti omnium, ut impleretur in te, quod etiam de regno temporali scriptum est, quia humillimum hominem constituet Deus super illud. obtine igitur mater et uirgo beatissima apud ipsum, a quo ante constitutionem mundi es praeelecta, ut et nobis aliqua huiusmodi meritorum largiri dignetur incrementa, quibus ornatum et ad ipsius susceptionem aliquatenus praeparatum inueniat cordis nostri habitaculum.

CAPITVLVM XII.

De Simeone.

Contemplemur, fratres carissimi, uirginem uirginum, quae fidelem nobis in omnibus praebet ducatum, quo a consortio secernamur fatuarum uirginum. nam postquam Dominum de se genuit incarnatum, idem, quo eatenus floruerat sanctae humilitatis propositum, etiam post susceptam illam inaestimabilis priuilegii gloriam seruare studuit illibatum. quae cum legi nihil deberet, eo quod supra legem esset, legalis tamen remedii decreta non sibi sed aliis statuta sponte subiit, cum quadragesima purgationis suae die, quae purgatione non egebat, ad templum cum hostiis pro puero offerendis uenit. ubi qualiter idem puer Dominus Jesus a sancto Simeone fuerit susceptus, euangelista declarat. qui cum iustitiam tanti susceptoris sufficienti testimonio commendasset, ut dignum eum tali susceptione demonstraret, subdidit: *et cum inducerent puerum Jesum parentes eius, ut facerent*

15, Conf. Dan. 4, 14.

secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum et ait: nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundum uerbum in pace.

Pro fideli ergo susceptionis huius recordatione simulque intemeratae genitricis ueneratione celeberrimi ritus per uniuersam ecclesiam sancita est obseruatio, quae annuatim in festiuitate, quae dicitur ὑπαπαντὴ, id est praesentatio Domini in templo, sollemni agitur officio. nam accensos cereos ea die in manibus gestare quid est aliud, nisi ueri luminis desiderio cum Simeone flagrare, ut hoc iugiter nostro ardeat in corde et resplendeat in opere, quod ille piis susceptum ulnis meruit ad horam tenere? sic enim et idem senior iustus iuxta praeceptum Domini ardentes bonorum operum lucernas in manibus hactenus portare solitus fuerat, ac per hoc accrescentibus gradatim meritis, ipsum tandem suscepit portandum qui omnia portat. nostris quoque iustis desideriis optatum quantocius effectum dabit, qui iusti Simeonis expectationem impleuit, si in apostolico illo praecepto quod nobis praescribitur: *glorificate et portate Deum in corpore uestro*, perseuerantes inuenerit. et quid aliud expectamus, quam quod ardentibus cereis illis praefiguramus, quos in hac beatae Mariae sollemnitate gestare solemus, ut uidelicet iuxta parabolam uirginum prudentum, cum lucentibus bonorum actuum lampadibus obuiam regi ac sponso nostro uenientes, mox cum eo ad nuptias supernae ciuitatis intremus? hoc est enim cereos accensos in ὑπαπαντῇ portare, quod est in illa ultima sui praesentatione unumquemque opera sua secum habere, quibus clarus et lucidus in conspectu Domini et sanctorum angelorum possit apparere. sed hi soli oleum tunc in uasis suis cum lampadibus habebunt, qui nunc non reclamante sibi conscientiae suae testimonio, cum Simeone canere possunt, quod ob huius susceptionis memoriam sancti patres in hac sollemnitate decantari censuerunt: *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.*

Templum Dei antiquus ille Hebraeorum populus erat, quem a ceteris nationibus separatum suo cultui per legem et prophetas dedicauerat. sed ueniente in carne Domino templum illud in nouitate spiritus adornari negligens, per uetustatem litterae maxima ex parte collapsum est. equidem stare uidebantur quasi

3. Luc. 2, 27—29. — 18. I. Cor. 6, 20. — 32. Ps. 47, 10.

quidam templi ipsius parietes per sacrificiorum ritus et pharisaeorum traditiones, sed is qui habitare ibi consueuerat, elongatus et mansionem eius abhorrens dicebat: facta est mihi domus mea quasi spelunca hyaenae. ueruntamen in medio templi eiusdem quidam electi et nouae gratiae deuoti susceptores inuenti sunt, de quibus superueniente Anna uidua scriptum est: *loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel.* hi ergo cum Simeone ac eadem prophetissa speciali gratulatione iucundantes dicere poterant: *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui;* ac si apertius dicerent: omnis quidem gens nostra sicut in antiquis patribus, ita et nostris temporibus tibi, qui unus idemque Deus es, paratam in se mansionem exhibere debuerat; sed aliis a noua luce oculos auertentibus, nos in medio eorum misericordiam tuam, id est unigenitum, per quem omnium misereris, deuote suscepimus.

Haec quidem tunc Simeoni ac ceteris primis dominici aduentus congruebant susceptoribus, quae et nos ueraciter profiteri faciat misericors Dominus. nam et nunc templum eius sanctum uniuersalis ecclesia est, quae quia malos a bonis separare non ualet, multos in se formam quidem pietatis habentes, uirtutem uero eius abnegantes habet. hi ergo et suscipiunt Deum et non suscipiunt, suscipiunt per sacramenta, non suscipiunt per fidei et caritatis opera. inter hos tamen nouit Dominus qui sunt eius, qui fiducialiter dicere possunt: *suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui;* per fidem namque et operationem dignum mansioni eius praeparant locum. ad hos quasi ad templum suum frequenter uenire delectatur *dominator quem uos*, fratres carissimi, *quaeritis, et angelus testamenti, quem uos uultis,* quoniam hic ei offeruntur sacrificia in iustitia. hic ad Simeonis exemplum indeficiens spiritualium desideriorum flamma oleo caritatis nutritur, hic diuinae illustrationis praesentia incomparabili suauitate degustatur, ita ut nonnumquam etiam manifesta reuelatione extrinsecus innotescat, quam paratam semper in templo suo sedem Deus inueniat.

Nam ut antiquiora huius gratiae praeteream exempla, quanta internae dulcedinis largitate uenerabilem illum patrem Amelonem infusum aestimatis, cuius mentionem familiaribus aliquotiens apud

7. Luc. 2, 38. — 38. Mal. 3, 1.

uos inserui colloquiis? qui cum ante annos aliquot uicinum nobis beati Dionysii monasterium strenue gubernaret, inuidorum machinationibus loco suo depulsus, eremi cultor factus est, dicens sibi cum psalmista: *quis dabit mihi pennas sicut columbae, et uolabo et requiescam? ecce elongaui fugiens, et mansi in solitudine.* illic ergo expectans eum, per quem saluaretur a pusillanimitate spiritus et tempestate, ieiunus uigiliis et orationibus semet ipsum liberius exercebat, sicque hostiam uiuam Deo in ara cordis immolabat. proinde ut tanta seruitutis eius deuotio grata Deo manifestae uisitationis probaretur indicio, nocte quadam, cum solitis incubaret precibus lacrimis atque gemitibus, illud fortasse Simeonis dicens: quando ueniet, quando uidebo, putas durabo? ecce subito eius occurrit desideriis, qui olim expectationi satisfecerat eiusdem iusti senis. oculis quippe ac manibus caelo stabat intentus, cum repente Dominus noster Jesus Christus, sicut a Simeone legitur susceptus, felicibus eius ulnis dicitur illapsus. quem cum pectori suo dulcissimis amplexibus astrinxisset, pedesque eius uberrimo lacrimarum fonte rigasset, ipse refocillato fidelis famuli desiderio, e manibus tenentis resiliens, aspiciente illo ad caelum rediit.

Ecce quantae remunerationis solatium etiam in praesenti uita consequi meruit, qui dignam in se Deo mansionem praeparare studuit, ut quem saepe in cordis hospitio susceperat, aliquando etiam mundis manibus amplectendo susciperet. quis enim ambigat, animo uel ori eius eadem occurisse uerba, quae a Simeone sunt prolata, cum diutina ipsius expectatio iuxta uotum fuisset adimpleta? merito quippe exorare poterat, dimitti se ut non uideret mortem, quia uidere meruisset uitae auctorem, relaxari a tenebris, quia gratiam ueri suscepisset luminis.

CAPITVLVM XIII.

De Matthaeo.

Verum susceptio ista singularis, de qua superius audistis, non nisi paucis conuenit electis, quos eo prouexit meritorum excellentia specialis, ut cum Joanne dicant: *manus nostrae* palpauerunt *de uerbo uitae.* proinde ista uestrae relinquimus beatitudini, qui aquilae sublimem uolatum ac subtilem contuitum

5. Ps. 54, 7. — 34. I. Jo. 1. 1.

mentis agilitate et sanctimoniae puritate, sine qua nemo uidebit Deum, contenditis imitari. altius de his uobis quam ceteris mortalibus dilectus loquitur, immo familiarius ipsam susceptionis huius gratiam impertiri dignatur. ego autem mihi meisque coaequalibus de illa magis susceptione applaudo, qua in domo Leui qui et Matthaeus Dominum honoratum, immo magna gratiae suae dignatione peccatores consolantem et honorantem recognosco.

Qui cum ad primam Domini iussionem relicto telonii negotio iubentis uestigia secutus fuisset, magnum ei protinus conuiuium in domo sua fecisse perhibetur. per exteriores enim epulas inuisibile illud conuiuium demonstrari debuit, quod per paenitentiam et conuersionem in cordis sui domicilio saluatori exhibere meruit. et bene susceptorem suum hospitio suscipere festinat, qui ad suscipiendam ab ipso contribulati spiritus hostiam misericordiae sinum aperuerat. ideo etiam quam maxime a Matthaeo in ipso conuersionis eius initio Dominus suscipi uoluit, quoniam aliorum quoque saluti hanc pietatis suae dignationem profuturam praesciuit. uerus enim animarum nostrarum medicus, qui languores nostros et dolores portare uenerat, non solum aequalitate naturae hominibus congruere, sed et compassionis dispensatione peccatoribus in profundo malorum iacentibus condescendere disposuerat, ut miseratio subleuaret, quos iniquitas depresserat. inito ergo in domo publicani conuiuio, *erat turba multa publicanorum et aliorum, qui cum illis erant discumbentes.* ecce fructus dominicae susceptionis, ecce quam efficax gratia conuiuii salutaris. cum in unius conuersi et paenitentis domo suscipitur Dominus et conuiuatur, multis ad fontem uitae aditus indulgetur, plures ad fiduciam sperandae salutis animantur. sed pharisaei et scribae de sua iustitia gloriantes, neque gratia sese indigere arbitrantes, nec tamen ipsum gratiae auctorem uerbis palam aggredi praesumentes, murmurabant ad discipulos eius dicentes: *quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis?*

O quam alieni a diuina uisitatione isti fuerant, quos de inpenso aliis munere inuidia torquebat, quando enim Dominum suscipere ipsi mererentur, qui susceptum alterius deuotione et conuiuantem improbe calumniantur? ipse autem pro discipulis, qui interrogati fuerant, calumniatoribus respondit dicens: *non*

24. Luc. 5, 29. — 32. Luc. 5, 30.

egent qui sani sunt medico, sed qui male habent; ac si diceret: quia sanos uos falso aestimatis, medicum non suscipitis, immo suscipientes eum alios reprehenditis: hi autem, quia aegritudinem suam humiliter agnoscunt, aduentui meo gratulantes occurrunt, et ut uere solem iustitiae, in cuius pennis sanitas est, excipiunt. constat tamen pharisaeos aliquando Dominum suscepisse hospitio, sed ut euangelica probat historia, non simplicitate cordis uel deuotione boni operis exhibita est illa susceptio. non enim ut peccatores et paenitentes a peccato immunem et peccatorum omnium suscipiebant dimissorem, sed quasi insidiatores traditionum suarum obseruabant transgressorem.

Quod exemplis facillime demonstrari potest. *rogauit eum quidam pharisaeus ut pranderet apud se. et ingressus recubuit.* nulla hic susceptionis diligentia neque conuiuii apparatus describitur, sed qualiter circa traditiones obseruandas eum quem susceperat denotauerit, statim innuitur; nam subditur: *pharisaeus autem coepit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium.* solebant enim non solum corporum suorum, si quomodo gentili cuiquam communicassent, sed et calicum et urceorum lectorumque et aeramentorum baptismata, id est lauationes superfluas, obseruare: Dominus autem maxime interioris munditiae custodiam ad se suscipiendum ostendit necessariam. ad hoc quippe totus ille sermo consequenter adnexus pertinet. item Lucas euangelista de alio refert prandio, a principe quodam pharisaeorum saluatori exhibito, ita dicens: *et factum est, cum intraret in domum cuiusdam principis pharisaeorum sabbato manducare panem.* ubi aeque praetermisso totius deuotionis indicio, quae tanto hospiti conueniret suscipiendo, econtra subiungitur: *et ipsi obseruabant eum.* obseruabant utique, si solueret sabbatum, ignorantes non carnaliter tantum sed spiritualiter in eo uacandum. ipse vero, qui uenerat operari salutem in medio terrae, sabbatis praecipue docebat et operabatur non solum propter spirituale sabbatum, sed et propter celebriorem populi conuentum, utpote qui salutem quaereret omnium. denique tertium pharisaicae susceptionis adiungamus exemplum, quia *in ore duorum uel trium testium* stabit *omne uerbum. rogabat* Jesum *quidam pharisaeus, ut manducaret cum illo, et ingressus domum*

1. Luc. 5, 31. — 13. Luc. 11. 37. — 18. Luc. 11, 38. — 26. Luc. 14, 1. — 35. Mat. 18, 16.

pharisaei discubuit. quo loco uerae ac fictae deuotionis discretio, iudicante ipso qui susceptus est aperitur, et qualiter a paenitentibus paenitentiae nostrae largitor et susceptor suscipiendus sit, liquido edocetur.

Scitis enim, quibus fidei et sanctae deuotionis obsequiis peccatrix illa Dominum ad cordis sui hospitium inuitauerit, quam gratas ei epulas administrauerit. exponit ipse iudex singillatim, uel quid illa ministerii sibi exhibuerit, vel quid pharisaeus in sua susceptione neglexerit. qui cum pietatis auctorem pharisaico fastu reprehenderet, cur se a peccatrice tangi permitteret, ad confusionem suam pia illius quam despiciebat enumerari audiuit officia. quia ergo nihil purae deuotionis inesse poterat obsequiis illis, quibus pharisaei Dominum suscipere solebant, iuxta mandatum ipsius attendamus a fermento eorum quod est hypocrisis. quo prius expurgato, epulas ei cum Maria in azimis sinceritatis et ueritatis praeparare satagamus. hoc enim conuiuio angelos suos laetificari testatur dicens: *gaudium est angelis Dei super uno peccatore paenitentiam agente.*

CAPITVLVM XIIII.

De regulo et centurione.

Considerandi sunt nobis duo Domini saluatoris inuitatores, tam meritorum gradibus quam saeculi dignitatibus dissimiles, regulus et centurio. qui sicut religione dispares fuerunt, ita et ipsum totius religionis auctorem Dominum dissimilibus fidei uotis inuitauerunt. primo igitur utrorumque inter se uerba uel gesta conferamus, deinde praeclarum illud religiosi centurionis exemplum specialiter attendamus. *regulus cum audisset, quia Jesus adveniret a Judaea in Galilaeam, abiit ad eum, et rogabat eum, ut descenderet et sanaret filium eius.* de centurione autem scriptum est, quia *cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judaeorum rogans eum ut ueniret et* sanaret *seruum eius.* ille uelut personarum acceptorem existimans Dominum, qui sibi tamquam potentiori delaturus esset honorem, facie ad faciem alloqui eum non moratur; iste ob gentilis uitae conscientiam pauidus, praesentia sua saluatorem grauare ueretur, ideoque

1. Luc. 7, 36. — 14. Conf. Luc. 12, 1. — 17. Luc. 15, 10. — 28. Jo. 4, 47. — 30. Luc. 7, 3.

uerecunde domi residens, fidelibus pro necessitate nuntiis utitur: ille quasi oratoribus uel internuntiis minus egens, libera fronte negotii sua causam perorat; iste in facie iudicis notam confusionis incurrere metuens, senioribus utpote peritioribus causidicis, qui confundi non debeant, legationem suam commendat.

Sed uidendum an efficacius ille per se, an iste per mediatores suos causam egerit; quis e duobus melius commendatus fuerit. quia enim scriptum est: *laudet te alienus et non os tuum*, regulus ore suo dignum se ad impetrandam petitionem suam asserere non poterat, centurionis uero legati ipsum, cuius causam susceperant, congruo laudis testimonio praedicabant. nam ut Lucas testatur, *cum uenissent ad* Dominum, *rogabant eum sollicite dicentes ei: quia dignus est, ut ei praestes hoc. diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse aedificauit nobis.* ecce quale quantumque praeconium a dilectione proximorum. uterque tamen, et regulus uidelicet per se et centurio per alios medicum inuitat; uterque illum licet dissimiliter suscipere festinat. sed regulus, qui sine corporali eius praesentia filium saluari posse non credidit, prior ipse contra infidelitatis morbum secantis medici pertulit ferrum. qui licet instanter ab eo inuitaretur, inuitantis tamen diffidentiam redarguit dicens: *nisi signa et prodigia uideritis, non creditis.* centurionis autem legationi, quae plena fide fulciebatur, tacitus annuens ibat cum legatis.

Hic iam patebit, quid beatus iste centurio a saluatore expetierit, qualiter eum ad se uenire optauerit, uirtute scilicet diuinae potestatis, non praesentia corporis. nam ut euangelista ait: *cum iam non longe esset a domo, misit ad eum centurio amicos dicens: Domine, noli uexari: non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres: propter quod et me ipsum non sum dignum arbitratus, ut uenirem ad te: sed dic uerbo*, id est ueni uerbo, *et sanabitur puer meus.* uide quanta fidei et humilitatis perfectione ad suscipiendum saluatorem cordis hospitium adornauerat, qui ad praebendam ei exterioris habitaculi mansionem sese indignum iudicabat. cuius nos quoque formam recte obtinebimus, si inter eos computari meruerimus, de quibus Jethro Moysi consilium praebens dixit: *prouide de omni plebe uiros potentes et*

8. Prou. 27, 2. — 14. Luc. 7, 4. sq. — 22. Io. 4, 48. — 31. Luc. 7, 6. sq.

timentes Deum, in quibus sit ueritas et qui oderint auaritiam, et constitue ex eis tribunos et centuriones, quinquagenarios et decanos, qui iudicent populum omni tempore. seruum etiam necessariis oboedientem ministeriis singuli haberemus, si cum apostolo ueraciter dicere possemus: *castigo corpus meum* et seruituti subicio. hic est enim seruus ille, qui facile infirmatur, uariis uitiorum languoribus praegrauatur, adeo ut nec apostolica eum industria licet castigatum, licet seruituti subiectum, perfectae sanitati reddere potuerit. queritur enim de assidua eius aegritudine dicens: *uideo aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae.* et quasi morti proximum eundem seruum deplorans adiungit: *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Quod si ipse doctor gentium, specialis fundator ecclesiarum, tam anxio labore circa aegrotantem desudat seruum: quid nobis est faciendum, quibus medicamentis nostrum curabimus infirmum, immo quibus disciplinae loris rebellem nobis cohibebimus famulum? sicut enim aduersus Salomonem Deo inoboedientem suscitatus est Hieroboam seruus eius, manum contra regem, leuaturus et populum Israel ad idolatriam seducturus, ita et nobis diuinae legi repugnantibus noster quoque repugnat seruus. primam hanc ipsi auctores generis nostri pertulerunt inoboedientiae poenam, erubescentes post culpam carnem uidere nudam; qui si innocentiae stolam inmaculatam custodissent, nullo alio uelamine ad contegendum pudorem eguissent. mihi uero meisque similibus disciplinae sibi frena incaute laxantibus illud euenisse non dubium est, quod in prouerbiis dicitur: *qui delicate a pueritia nutrit seruum suum, postea illum sentiet contumacem.* ad cuius contumaciam reprimendam uel aegritudinem sanandam imitemur beati centurionis illius industriam, qua circa seruum suum est usus, qui ei fuisse dicitur pretiosus. nam et hic seruus noster pretiosus nobis esse poterit, si rectori spiritui obtemperans, deputatis sibi officiis studiose inseruierit, si disponente spiritu quae agenda sunt ac dicente: uade uadit, ueni uenit, fac hoc incunctanter facit.

Continuis igitur uotis precibus et lacrimis, quasi fidelibus

3. Ex. 18, 21. — 5. I. Cor. 9, 27. — 13. Rom. 7, 23, sq. — 28. Prou. 29, 21.

internuntiis, ad conferendam ei salutem Dominum inuitemus; quem ut dignius suscipiamus, indignos nos eius uisitatione humillime confiteamur, dicentes ei singuli cum centurione: *Domine non sum dignus, ut intres sum tectum meum,* ueruntamen cum ingredieris per indultam mihi participationem sacrosancti corporis tui et sanguinis, *ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu omnis uiuens. dic uerbo,* qui es uerbum patri coaeternum, *et sanabitur puer meus.* quicquid pueriliter in me lasciuit, recepta maturitate roborabitur, quicquid uitiosa debilitate languet, gratiae tuae medela recuperabitur, ut benedicat tibi anima mea et omnia interiora mea, consonet etiam tota exterioris substantiae meae harmonia.

CAPITVLVM XV.

Qualiter a Samaritanis primo contemptus, postea susceptus sit Dominus.

Quia iucundum Deus habitaculum in cordibus possidet sanctorum, sicut scriptum est: *anima iusti sedes est sapientiae,* omni nos deuotione ad sequenda eorum uestigia oportet contendere. nisi enim iustitiae sectatores fuerimus, ipsius iustitiae auctori locum sedendi in nobis praebere non poterimus. et si a nobis quod absit excluditur, qui ab aliis deuote suscipitur et digna sede honoratur, quid restat, nisi ut ab ipsis etiam eius susceptoribus grauius iudicemur? nam eisdem, in quibus sedet, sedes iudiciarias polliceri dignatus est dicens: *sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.* quam iudicandi potestatem quidam eorum rudes adhuc etiam in praesenti exercere uoluerant, dum zelum Dei sed non secundum scientiam habentes, in eos, qui Dominum suscipere contempserunt, uindictam protinus faciendam decernebant. sic enim scriptum est: *dum complerentur dies assumptionis eius,* Domini scilicet, *et ipse faciem suam firmauit ut iret in Hierusalem, et misit nuntios ante conspectum suum. et euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, ut pararent illi. et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis Hierusalem.*

Samaritae quippe, quia conspiciunt eum ire in Hierusalem,

7. Ps. 142, 2. — 25. Mat. 19, 28. — 34. Luc. 9, 51—53

non recipiunt, eo quod non couterentur Judaei Samaritanis. *cum uidissent autem discipuli eius Jacobus et Joannes, dixerunt: Domine, uis dicimus ut* ueniat *ignis de caelo et consumat illos?* nimirum quia filii tonitrui sunt, ignem de caelo ad uerbum suum descendere uolunt; non inferiores Helia, ad cuius uocem flamma desuper ueniente quinquagenarii ad eum missi cum suis quinquaginta perierunt. sed si contra Samaritas tanta fuit apostolicae indignationis seueritas, eo quod ad suscipiendum Dominum imparati fuerint, cuius fide necdum imbuti erant; qua putamus uindicta duritiam nostram feriendam iudicant, si post christianae religionis sacramenta cum lacte matris suscepta, post tot ac tanta diuinae gratiae beneficia, ipsum bonorum omnium largitorem a cordibus nostris repelli uideant? quem quoniam a sede sua indignis moribus et foedis cogitationibus multotiens deturbauimus, diuitias bonitatis et longanimitatis eius iam ultra non contemnamus, immo ad misericordiam Samaritanis tunc indultam, nobis quoque gratuita ipsius largitate frequentius oblatam, dum tempus est, confugiamus. ostendens enim quod per prophetam ait: nolle se mortem peccatoris, sed ut conuertatur et uiuat, apostolicae aemulationis uehementiam reprimit, increpans eos ac dicens: *nescitis, cuius spiritus estis. filius hominis non uenit animas perdere, sed saluare.* quod etiam consequenter in ipsis Samaritanis demonstratum est, qui per clementiam seruati ad fidem sunt conuersi; quemque prius nuntiantibus apostolis suscipere noluerant, postmodum honorifice inuitatum susceperunt. cognita enim fama eius per mulierem, quae ad fontem illum inuenerat, *exierunt de ciuitate et ueniebant ad eum.* post odorem famae gustum quaerunt ipsius praesentiae, nec his contenti pleniorem beatitudinis fructum ex eius consequi cupiunt mansione. *rogauerunt enim eum ut ibi maneret, et mansit ibi duos dies.* non fit mentio noctis, ubi praesentia est uerae lucis, duobus diebus commorans, id est geminae caritatis gratia susceptores suos illustrans, haec est ergo *mutatio dexterae excelsi.* nuper exclusus a Samaritis, nunc mansionem facit cum eis. ad hoc cohibitus est ignis, quem apostoli uoluerant super eos descendere, ut ad hanc mutationem mererentur peruenire. quo-

1. Conf. Jo. 4, 9. — 3. Luc. 9, 54. — 19. Ezech. 33, 11. — 22. Luc. 9, 55. sq. — 27. Jo. 4, 30. — 31. Jo. 4, 40. — 33. Ps. 54, 20.

contra de obstinata quorundam duritia queritur psalmista dicens: *non enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum.* qui cum ad suscipiendum eum timore purgari et uirtutibus adornari debuerint, e contrario sub miserabili specie uel apparatu eius aduentui obuiant, illa uidelicet, quam Lucas euangelista his uerbis insinuat: *ibat* Jesus *in ciuitatem quae uocatur Naim, et ibant cum illo discipuli eius et turba copiosa.* sed quo occursu, quibusue obsequiis susceptus est? *cum autem appropinquaret portae ciuitatis, ecce defunctus efferebatur.* item alio loco idem euangelista de Domino, *cum ingrederetur,* inquit, *quoddam castellum, occurrerunt ei decem uiri leprosi; qui* tamen suscipiendo saluatori approximare non audentes, utpote ob leprae immunditiam ab hominibus separati, *steterunt a longe.*

Ita et de istorum cordibus, quorum primus ego sum, foetor elati cadaueris, aut leprae diffluentis exhalans, Dominum ad uisitandos eos uenire cupientem offendit, si tamen extra monumentum illos ut hunc iuuenem uiduae filium reppererit. quosdam enim terra obrutos, lapide superimposito pressos, et cum Lazaro quattuor iam dies in sepulcro habentes inuenit; ad quos tamen nisi familiaribus salutis interuentoribus sese inuitantibus et digne suscipientibus non uenit. sed quousque, Jesu benignissime, tantas a nobis iniurias pateris, quousque foetidis uitiorum nostrorum sordibus offensus, debitam tibi cordium nostrorum habitationem exhorrescis? quamdiu leprosi sumus, a *longe* stantes, congrua te deuotione suscipere non possumus; praeceptoris tamen misericordiam quanta possumus uoce inclamamus. et huius quidem miseriae remedium nobis offers cum dicis: *ite, ostendite uos sacerdotibus.* mortem uero animae si inciderimus, ubi iam neque uox est neque sensus, *quoniam non est in morte qui memor sit tui,* restat ut matris ecclesiae fletum respicias, et misericordia motus mortis laqueos potenti uirtute disrumpas. nihil igitur inmunditiae uel abominationis in templo tuo remanere patiaris, ut eliminata impuri hostis spurcitia, teque legitimo habitatore suscepto, secura conscientia in te gloriari mereamur cum Jacob patriarcha dicentes: *quam terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei et porta caeli.*

2. Ps. 54, 20. — 9. Luc. 7, 11. sq. — 11. Luc. 17, 12. — 28. Luc. 17, 14. — 29. Conf. IV. Reg. 4, 31. — 30. Ps. 6, 6. — 36. Gen. 18, 17.

CAPITVLVM XVI.

De Martha et Maria.

Quamquam uobis, fratres carissimi, in hoc opusculo specialiter deseruire proposuerim, necessarium tamen mihi est, nec uobis onerosum esse debet, si inter uerba, quae gloriae uestrae administro, propriae quoque miseriae meminerim. hac enim de causa luctuosum illum ciuitatis Naim commemoraui occursum, quo appropinquantem portae suae excepit Dominum; sed neque castellum illud silentio praeterire potui, ex quo decem ei occurrerunt leprosi. uos autem uenientem dilectum non solum foetore cadaueris elati aut leprae sordentis non offenditis, uerum et grati odoris suauitate delectatum attrahitis, dicentes de portis, per quas ei aditum datis: *mandragorae dederunt odorem in portis nostris,* et item cum sponsa: *surrexi ut aperirem dilecto, manus meae distillauerunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima.* attestatur etiam ipse dilectus sponsae suae praeconio et odori mirifico: *odor,* inquiens, *oris tui sicut malorum, guttur tuum sicut uinum optimum.* tali flagrantia ductus *intrauit* Jesus *in quoddam castellum, et mulier quaedam Martha nomine excepit illum in domum suam; et huic erat soror nomine Maria.* haec est illa Maria, quae ad domum pharisaei cum alabastro unguenti ueniens, pedes Domini lacrimis rigatos ac deosculatos unguento unxit, humilique deuotionis suae obsequio gratiam hospitis praecipere contendit. ibi ergo in pace dimissa, diligebat deinceps reconciliata sibi saluatoris uestigia, ideoque rursus opportunitate accepta, nil iucundius aestimabat, quam ad audiendum uerbum tanti magistri pedibus assidere. et hic nihilominus solitae contentionis exercebatur studio, sciens quia *regnum caelorum uim patitur, et uiolenti* diripiunt *illud.* sicut enim in domo Simonis, ut iam dictum est, gratiam praeripere festinauit hospitis, multiplicioribus et deuotioribus intenta officiis; ita et nunc suscepto Domino, hospitalem famulatum euincere studuit sororis. pharisaeus Dominum inuitauit, conuiuium exhibuit, et tamen quid in hoc hispitalitatis officio neglexerit, quamque multipliciter

14. Cant. 7, 13. — 16. Cant. 5, 5. — 18. Cant. 7, 8. — 20. Luc. 10, 38. — 29. Mat. 11, 12.

peccatricis diligentia ipsius iustitiae praelata fuerit, pronuntiante iudice audiuit. at Martha cum suscepisset Dominum, usitato hospitalitatis studio *satagebat circa frequens ministerium*, Maria sedente ad audiendum uerbum. et licet de Martha specialiter dictum sit, quod exceperit illum in domum suam, tamen etiam a Maria susceptus est, dispari uero utriusque famulatu honoratus: illa officiose discurrens turbatur erga plurima, haec ad quietum negotium residens et uni intendens, despexit reliqua. utraeque igitur alacri deuotione suscepto hospiti deseruiebant, et quasi contentione quadam sese inuicem ad hoc praeuenire gestiebant: Martha de laborioso discursu et studioso ministerii apparatu placere festinabat, Maria de quieto consessu et intento auditu uictoriae palmam expectabat. tanta erat Marthae sollicitudo circa frequens ministerium, ut delata ad Dominum querimonia, germanae flagitaret adiutorium; tam cauta uero Mariae fuit obseruantia circa quietum silentium, ut nec interpellata a sorore, excusationis reddere uoluerit responsum. sed piam hanc contentionem iudicis sententia diremit, quae Mariae partem optimam, nec ab ea auferendam definiuit. nec hac sola uice inter sorores istas huiusmodi deuotionis diuersitas in susceptione dominica notatur, uerum et alibi nihilominus inuenitur. cum enim inuitassent eum ad curandum fratris Lazari languorem, ipse uero tempus distulisset sanandi, ut daretur locus resuscitandi postmodum uenienti Martha solito ministerii studio occurrit, Maria autem ut contemplationis quieti uacans, domi resedit et quousque ab ipso euocaretur, non exiuit. rursus cum uenisset Bethaniam, *fecerunt ei cenam ibi, et Martha ministrabat. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes eius et extersit capillis suis, et domus impleta est ex odore unguenti.* ecce quam ordinate sua singulae repetunt officia, ut neque circa pedes Domini otio indulgeat Martha, nec labore ministerii quietem spiritualis otii perturbet Maria.

Inter haec, dilectissimi, admoto internis aspectibus uestris gemino diuersarum uirtutum speculo, quid ferre possitis et eligere debeatis perpendite: an cum Martha piam religiosae administrationis sedulitatem, an potius cum Maria sanctae contemplationis optimam partem. scio quidem ad obtinendam hanc

3. Luc. 10, 40. — 29. Io. 12, 2. sq.

partem longo uos caelestium desideriorum exercitio insudasse, pedibusque saluatoris assidentes, et uerborum eius deliciis affluentes, cum psalmista dicere: *quam dulcia faucibus meis eloquia tua* Domine, *super mel* et fauum *ori meo.* sed cum hoc unum sit necessarium, paucis tamen in praesenti uita praestatur ad uotum, plures uero Marthae incitat studium. uos quoque ne quando sub specie spiritualis sabbati otio torpeatis inutili, nonnumquam a consessu Mariae ad opus Marthae conuertimini, ut huius exercitio uegetati, rursus alacriores in contemplationis gratia inueniamini. sed quid ego imbecillis faciam, qui ad uaria Marthae officia distrahor, nec tamen uel ad unum horum utilis aut idoneus inuenior? uestrae quidem si liceret impensius deseruire uellem sanctitati, sed dum ab aliis ad alia sollicito et turbato animo discurro, uereor ne saltem hoc ipsum, quod nunc in manibus est, non ea, qua proposueram, diligentia ualeat explicari.

CAPITVLVM XVII.

De Zacchaeo.

Iam dudum assignare cupientes, qua uirtutum industria, qua meritorum gloria thalamum suum filia Sion adornare debeat, ubi electum ex milibus dilectum digne suscipere ualeat, praeclara susceptorum eius exempla proposuimus, in quibus tamen non tam illos, a quibus deuote susceptus est, quam ipsum in sanctis suis mirabilem admirantes praedicamus, cui cum psalmista dicimus: *tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea et exaltans caput meum.* qui nisi nos prius gratuita benignitate suscepisset, locum in nobis quo susciperetur minime inuenisset. praecedit enim gratia, qua operante meritorum succedunt incrementa, quousque compositis et pacatis omnibus fiat *in pace locus eius et in Sion habitatio eius.* ipsa itaque Dei sapientia, ut scriptum est, *praeoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. dignos se ipsa circuit quaerens, et in uiis suis ostendit se illis hilariter, et in omni* prudentia *occurrit illis.* quod cum sine intermissione inuisibilis potentiae operetur efficacia, aliquando

4. Ps. 118, 103. — 26. Ps. 3, 4. — 30. Ps. 74, 3. — 32. Sap. 6, 14. — 33. Sap. 6, 17.

etiam in forma serui apparens corporali exhibuit praesentia, uocans et post se trahens, ac misericorditer suscipiens, quos sua dignos iudicauit gratia. cuius pietatis solito exercitio *ingressus* Jesus, *perambulabat Jericho.*

Ecce Samaritanus ille iter faciens, compassionis gratia appropinquat ei, qui ab Hierusalem descendens in Jericho inciderat in latrones, et spoliatus ac semiuiuus derelictus, ipsius aduentum expectabat. quod autem perambulasse dicitur, consummatae salutis opus insinuatur. dictum est enim hoc contra principem latronum, quorum uiolentiam miserabilis ille Hierosolimita sustinuit. hic siquidem delata tyrannidis suae euagatione in tantum gloriari ausus est, ut Domino percontanti ac dicenti: *unde uenis,* responderet dicens: *circuiui terram et perambulaui eam.* merito igitur et Dominus perambulat Jericho, necessario circuit in hoc nostrae mortalitatis exilio, ad insequendum comprehendendum ac religandum antiquum illum alieni iuris peruasorem, ne deinceps circuire uel perambulare audeat terram dominicis uestigiis consecratam. proinde considerandum quod iam praemisimus, qualiter ipsa Dei sapientia etiam in Jericho praeoccupat eum, qui se concupiuerat, ut illi se prior ostendat; quomodo dignum se circuiens quaerat, et in uiis suis illi se hilariter ostendat. subsequitur enim euangelista et dicit: *et ecce uir nomine Zacchaeus, et hic erat princeps publicanorum, et ipse diues.* quid tibi uidetur? nonne hic est qui descenderat ab Hierusalem in Jericho, et inciderat in latrones? quid enim est aliud quod ait: quia *hic erat princeps publicanorum et ipse diues?* diuitias quippe, quas ab Hierosolymis detulerat, praeualentibus sibi latronum insidiis perdiderat. haec uero, qua nunc pollere uidebatur abundantia, et principatus, quo inter publicanos eminebat, de mamona iniquitatis erat. plagis quidem impositis semiuiuus fuerat relictus, sed iam proficiente pia Samaritani uisitatione recreatus, et recuperandae salutis desiderio erat accensus. *quaerebat* enim *uidere Jesum, quis esset.* a cuius contuitu quia uitiorum obstante languore tardatus sit, typice innuitur, cum protinus adiungitur: *et non poterat prae turba, quia statura pusillus erat.* quid ergo? numquid *quia statura pusillus erat,* accepto salutaris desiderii ardore tepescebat? numquid paruus paruitatis suae respectu a

4. Luc. 19, 1. — 13. Job 2, 2. — 23. Luc. 19, 2. sq.

contemplando eo, cuius magnitudinis non est finis, conquiescere poterat? absit: nam *praecurrens ascendit in arborem sycomorum, ut uideret eum,* defectum scilicet naturalis staturae ligni adimplens celsitudine, ut cum apostolo gloriari mereretur ac dicere: *mihi autem obsit gloriari, nisi in cruce Domine nostri Jesu Christi.*

Inde enim, id est per crucem Dominus erat transiturus, et gloriosi transitus exemplo fideles suos ad custodiendas uias duras corraboraturus. et notandum, quam distincta et ordinata prouehitur graduum serie, qui dominicae tandem praesentiae sublimandus erat susceptione. primo quasi ignotum uidere desiderat Dominum, sed quia staturae paruitas et turbae importunitas huius desiderii differebant effectum, aliud confestim quaerit subsidium. uiam, qua transiturus erat saluator, sollicite denotat, arborem uiae contiguam scandens, turbas in imo positas exuperat; libero aspectu ad paeoccupandam uenientis praesentiam circumuolat, necdum tamen ad suscipiendum eum, cum uenisset, aspirare audebat. obtinuit uero apud ipsum, qui abundantia pietatis et merita supplicum excedit et uota, ut praestaret ei etiam quod orare non praesumpserat, et praeoccuparet eum qui se concupiuerat. nam cum dignum se circuiens quaereret, uenissetque ad locum, ubi ille ad eius ascenderat contuitum; uidete quomodo prior se illi ostendit, quam hilariter uiam qua tenderet, locum quo manere uellet, demonstrauit. *suscipiens uidet* quippe *illum, et dixit ad eum: Zacchaee festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. festinans,* inquit, *descende.* deuotionem eius nouerat, qui hanc ei inspirauerat; ideoque quod ante in eius sonuerat corde, sono uocis iterat in aure. sciebat quanta alacritate arborem ascenderat, quanta desiderii auiditate uenientem prospiciendo expectaverat, recteque sic acceleranti, ut magis magisque festinet, imperat. non inuitatus inuitat, immo inuitatus corde, inuitat uoce; quia etsi nondum audierat inuitantis alloquium, cognouerat desiderantis affectum. ac si diceret: quisnam essem, exterioribus cernere cupiebas oculis, quod nunc intuitu contemplaberis cordis, iucundius quoque ex percipiendis a me disces beneficiis. uidere uolebas per uiam transiturum, suscipies apud te familiariter mansurum. *hodie* enim *in domo tua oportet me manere.* in domo quidem tua mansio erit mihi uisibilis, in

5. Gal. 6, 14. — 25. Luc. 19, 5.

corde autem tuo requies inuisibilis; in domo hodie, in cordis hospitio cottidie.

Stimulo ergo deuotionis currenti addito, qui etiam prius festinauerat, nunc multo amplius *festinans descendit, et excepit illum gaudens.* alii autem, qui e diuerso *murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem diuertisset,* dum auctori pietatis iuste se obloqui autumant, miserationes ipsius, quae super omnia opera eius sunt, uerius licet per ignorantiam et inuidiam praedicant nobisque peccatoribus ampliorem ad suscipiendum eum fiduciam praestant. nam quod ipsi dicunt indignantes uel inuidentes, uniuersos consolatur humiles et paenitentes. nil desiderabilius prophetae praedixerunt, nil iucundius apostoli et euangelistae docuerunt, quam quod calumniantes isti asserunt, Deum scilicet omnis gratiae, Dominum maiestatis et gloriae, *in quem desiderant angeli prospicere,* ad hominem peccatorem diuertisse. animari oportet et me peccatorem, spes mihi datur aliquando etiam ad me diuertere saluatorem, qui uisitare non dedignatus est publicanorum principem. quanto enim infeliciorem inter peccatores gero principatum, tanto memorabilius miserationem eius praedicabitur miraculum; si meam quoque non abhorruerit domum. fideles quique uidentes, eum in hospitio meo requieuisse, ac proinde congaudentes beatitudini meae, leuabunt uocem exultationis et laetitiae, me nimirum cum gratiarum actione praecinente atque dicente: *memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus,* pauperum suorum solita pietate misertus.

Vere Domine, sicut cum patribus nostris mirabilia magna fecisti, ita et nostris glorificaris temporibus. misereris enim omnium, quoniam omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter paenitentiam. *diligis enim omnia, quae sunt, et nihil odisti horum, quae fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti. quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu uoluisses? aut quod a te uocatum non esset, conseruaretur? parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui animas amas.* nec *enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus. tu autem Deus noster, suauis et uerus es, patiens, et in misericordia*

5. Luc. 19, 6. — 6. Luc. 19, 7. — 17. I. Petr. 1, 12. — 25. Ps. 110, 4. — 34. Sap. 11, 25—27. — 35. Sap. 12, 13.

disponens omnia. etenim si peccauerimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam: et si non peccauerimus, scimus, quoniam apud te sumus computati. hoc autem cantico tunc demum recte laetificari potero, si ad exemplum Zacchaei dignum paenitentiae et conuersionis fructum reddidero; si ab ipso domus meae uisitatore audire meruero: *quia hodie salus domui huic facta est.* prima enim domui huic salus prouenit, cum ecclesiasticis sacramentis primum imbuta ad diuinitatis cultum dedicari meruit. sed quia peccatis exigentibus, iuxta quod Hieremias deplorat: *reppulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suae,* eget domus ista instauratione uel reconciliatione, quae fit per congruam paenitentiae satisfactionem et morum emendationem. per ipsum ergo fiat nostra reconciliatio, cuius gratiae prima asscribitur dedicatio; qui est uita salus et resurrectio, ueniens quaerere et saluum facere, quod perierat.

CAPITVLVM XVIII.

Qualiter imminente passionis tempore Hierosolymis susceptus sit Dominus.

Quamquam, ut supra ex parte declaratum est, congrua quorundam deuotione crebro suscepta sit saluatoris nostri iucundissima uisitatio, accuratiori tamen apparatu et frequentiori honoratur occursu, imminente iam sacratissimae passionis articulo. cuius pompae ornatum ipse partim pia exigere uoluit dignatione, praemittens discipulos pro huius ministerii exhibitione. hac enim sola uice contra morem solitum iumenti subuectione Hierolosymam tendenti, innocens turba spiritu sancto afflata et miraculorum stupore permota deuotissime occurrit; et ad indicium affectuosae susceptionis, palmarum aliarumque arborum ramos abscidens ac uestigiis eius substernens, iam quasi triumphatorem de mortis principe ostendit. cumque certatim tam uestibus quam frondibus uia sterneretur, omnis praecedentium uel sequentium turba una uoce laudis resultabat dicens: *Hosanna filio Dauid: benedictus, qui uenit in nomine Domini,* rex Jsrael.

Quo deuotionis suae exemplo quid aliud nobis innuunt, nisi ut nunc in innocentia ingredi, et remoto lapide offensionis, fidei uiam saluatori praeparare studeamus, ut etiam in futuro

3. Sap. 15, 1. sq. — 6. Luc. 19, 9. — 10. Thren. 2, 7. — 32. Mat. 21, 9.

sarcina carnis deposita. cum palmis uictoriae et bonorum operum odore in caelesti Hierusalem eidem occurrere ualeamus? unde sollemnis ecclesiae mos inoleuit, ut ad innouandum semper eiusdem deuotionis cultum, reuoluto annuatim dominicae passionis tempore in unum collecti, cum ramis palmarum iucundissime quasi ad suscipiendum Dominum procedamus, eique suppliciter in ipsa ramorum consecratione dicamus: ecce Hierusalem, sedens super asinam rex mansuetus aduenisti; adueni ergo rogamus et nobis, et in medio nostri consiste, ut te aduenire in nostris cordibus sentiamus; et qui tunc nos reparasti per crucem, iterum lapsos repara per eandem beatificam passionem. sicut tunc prioris populi gratus tibi fuit sanctae deuotionis affectus, ita nos quoque in ueritate confessionis nominis tui haec eadem per reuoluta tempora frequentantes, purificatis sensibus dignum tibi deferamus obsequium. his breuiter de illo fidelis populi occursu praelibatis, uidetur mihi iste Domini equitatus non otiose praetereundus; praesertim quia prophetica contestatione mandatur, ut filiae Sion ista denuntientur. *dicite*, inquit, *filiae Sion: ecce, rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subiugalis.*

Attendite fratres carissimi, ad quos specialiter per omnem libelli huius textum mihi sermo est; uos, inquam, auscultate uoci propheticae, aurem cordis adhibete narrationi euangelicae. nam quod euangelista factum narrat, propheta longe ante futurum praedixerat. nec simpliciter praedixisse sufficit, immo a se dictum aliis dicendum iniungit. *dicite*, inquam, *filiae Sion.* non solus ego dicam, nec solus tantae gratiae testimonium perhibeam, ne forte filiae Sion quod dicitur persuadere non ualeam. dicant alii atque alii, et a generatione in generationem dicatur, et frequentius repetatur; ut iterata repetitione, eius cui dicitur memoriae tenacius imprimatur. dicite ergo uos praecipue, qui uerbi huius uirtutem sentitis, qui dicti rationem reddentes auditoribus ex auctoritate persuadere ualetis. *dicite filiae Sion: ecce, rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam.* proinde ut audita patenter intelligatis, et imitari satagatis, *egredimini filiae Sion,* id est animae fideles, *et uidete regem Salomonem* non tantum *in diademate, quo coronauit eum mater sua,* uerum et in

20. Mat. 21, 5. — 37. Cant. 3, 11.

equitatu isto, quo subuexit eum mater eadem, uidelicet synagoga. nam et animal illud, cuius ministerio ad horam uti uoluit Dominus, a Judaeorum dominio fuerat adductum, ipsiusque synagogae tenuerat typum; ideoque non incongrue ut arbitror in equitatu isto a synagoga matre subuectum assero Dominum. uidete, inquam, eum uos, o filiae Sion, in equitatu suo, cuius uos informare uoluit exemplo. dicit enim sponsae suae: *equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* cum enim gloriaretur Pharao in curribus et in equitibus et in multitudine exercitus, persequens populum Dei et dicens: *euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea,* ita contra eum caelitus dimicatum est, ut bucina non insonuerit, glaudium nemo uibrauerit nec sagittam miserit.

Dux populi equitatum suum contra morem proeliantium adhortatur dicens: *Dominus pugnabit pro uobis, et uos tacebitis;* ac si diceret: alii bellatores aciem instruant, armis muniant, tubis et exhortationum uerbis animositatem incutiant, uos autem inermes dextras continete, silentii disciplinam seruate, quieta expectatione propugnatoris uestri auxilium humiliter sustinete. interim dux ipse, ut exemplo magis quam uerbo subditos instruat, deuotis precibus instat, causam populi gemitibus tacitis efficacius quam sono uocis perorat, donec armaturae caelestis praesidium a Domino percipiat. imminente igitur metuendi congressus articulo, Dominus duce populi sui uirga tantum armato, castra militiae suae moueri fecit; ait enim Moysi: *loquere filiis Israel, ut proficiscantur. tu autem eleua uirgam tuam, et extende manum super mare, et diuide illud, ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum.* quo facto cum iam etiam Aegyptii ingressi fuissent persequentes Israel, rursus ad praeceptum Domini extendente Moyse uirgam super mare, reuersae sunt aquae et operuerunt Aegyptios, ita ut ne unus quidem euaderet. ecce quam fortis uictoria, licet despicabilis uideretur armatura, in manu Moysi uirga. haec enim uirga humilitatis et mansuetudinis praeferebat indicium, pastoris ostendebat officium, quam et antea Moyses cum gregem pasceret gestare solebat. ecce Domini equitatus, contra superbiae tyrannidem humilitate conspicuus. ecce, filiae Sion, quam iucundo egressu processistis, ad conside-

8. Cant. 1, 8. — 11. Ex. 15, 9. — 15. Ex. 14, 14. — 28. Ex. 14, 16.

randum equitatum summi regis. longum est, si ad illum uos deducere uelim equitatum, ubi per Dauid inclitum militiae suae signiferum item in uirga contra Goliam processit ad bellum.

Sed reuertimini ad propositum praesentis loci equitatum, considerantes eundem regem, mansuetum asinae ministerio subuectum, et eiusdem humilitatis, cuius iam et in illa militia memini, etiam hic adornatum. sicut enim uisibiliter in mari rubro Pharaonem, ita inuisibiliter quoque in passione sua debellare uenit mundi huius principem; ideoque contra superbiae regem per humilitatis et mansuetidinis dimicandum erat uirtutem. quocirca cum passurus ascenderet Hierosolymam, nequaquam exhiberi sibi uoluit equum feruidum, qui de longe odoratur bellum, et gaudet ad tubae sonitum, et cum uiderit sanguineam pugnam, dicit in corde suo: benefactum; sed sedit super animal ignobile infirmum et oneriferum, eligens asinam tranquillitatis et pacis amicam. ipsa etiam deuotionis pompa a susceptoribus suis ei fideliter exhibita, nil penitus ostentabat ambitiosae elationis, sed in ramis frondentibus et deiectis humi uestibus, manifestissima praeferebat testimonia pietatis. proinde rex mansuetus, et sedens super asinam sic a nobis suscipi desiderat, ut equitatus sui similitudinem in moribus nostris requirat.

Itaque uel pauca ex his ut coepimus considerare temptemus, quo saltem ipsa meditatione commoniti, ad agenda, quae meditamur et loquimur, tandem aliquando euigilemus. quod discipulos praemittere dignatur Dominus ad exhibenda sibi ministeria, ad soluenda et adducenda iumenta aliena, praeuenientis indicium est gratiae; sicut et hoc quod Zacchaeum non inuitantem se praeoccupans ait: *Zacchaee, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* quibus enim conatibus humana tarditas ad suscipiendum eum erigi sciret uel posset, nisi ipse, de cuius munere uenit, ut sibi a fidelibus suis digne et laudabiliter seruiatur, torpentem ignorantiae nostrae desidiam praeueniendo suscitaret? quia uero, ut propheta testatur, equitatus eius sanitas est, quantae beatitudinis aestimanda est illa anima, quae talem se uenienti Domino exhibuerit, ut sessorem eum habere mereatur? hanc enim apostoli suis sternunt et adornant uestibus, uirtutum utique ac meritorum cultibus, ut

29. Luc. 19, 5.

delectabiliter ei insideat ipse uirtutum caelestium Dominus. et notanda gratiarum differentia. apostoli utpote rectores et magistri uestimenta sua superponunt ei, turba quae inferior est, nec tamen palliis uirtutum omnino caret, pedibus ipsius eadem substernit, ne offendat in lapidem, ne calcet spinam, ne labatur in foueam. haec enim in uia Dei cauenda sunt animae fideli, cordis duritia, quae per lapidem intelligitur, spina id est aculeus peccati, de cuius confixione paenitens ingemiscit dicens: *conuersus sum in aerumna mea, dum configitur spina,* fouea quoque, quam is tantum incidere perhibetur, cui iratus est Dominus. praeterea ramis palmarum, quae uictoriae signum praeferunt, uia adaequatur et ornatur, ut in semita iustitiae multos cum palma uictoriae praecessisse contempletur, quorum exemplis magis magisque in sancti laboris certamine roboretur. sic igitur Deo subiecta, feliciter progreditur de uirtute in uirtutem, audiens longe lateque resonantem in diuinis laudibus fidelium sibi congratulantium clamorem, de quo ipse ait: *uideant opera uestra bona, et glorificent patrem uestrum, qui in caelis est.* quibus praeconiis usque ad occursum angelici exercitus perducetur, ipsisque eodem fauore concinentibus dicet: ingrediar *in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei: in uoce exultationis et confessionis, sonus epulantis.*

Eia fratres, ad huius uiae directionem uotis omnibus aspirate, pro tantae spei certitudine spiritualis desiderii sinum laxate. onus illud leue, quod iam dudum deuote suscepistis, alacri mente baiulate, *portantem omnia uerbo uirtutis suae,* Deum in corpore uestro portate. ipse profecto sessor mansuetus, de quo dicitur: *mansuetis* autem *dabit gratiam,* non uos deseret neque derelinquet, donec in illam, quam mansueti hereditabunt terram, feliciter introducat.

CAPITVLVM XVIIII.

Quid circa contemptores uisitationis suae Dominus egerit.

Decursa per ordinem tota sancti euangelii serie, nusquam tanta debitae laudis acclamatione susceptus legitur Dominus,

9. Ps. 31, 4. — 18. Mat. 5, 16. — 22. Ps. 41, 5. — 26. Hebr. 1, 3. — 28. Prou. 3, 34.

quanta eo tempore honoratus est, cum exhibito sibi iumento subuectus, Hierosolymam ascenderet passurus. plena etenim uirtute et gratia haec ipsa erant praeconia, diuinitati simul atque humanitati eius breuibus uerbis testimonium perhibentia. hominem namque in filio Dauid, *qui uenit in nomine Domini*, manifeste ostendunt; in eo uero quod subiungitur: *hosanna in excelsis!* Deum nihilominus qui saluare possit in caelestibus asserunt. opportuna satis et tenerae adhuc discipulorum fidei necessaria uidebatur confessio ista, in articulo uidelicet temporis illius, quo multiplex imminebat passionis ignominia. oportebat etiam infidelium auribus praeconia eiusdem fidei tam clamosa uoce ingeri, ne cui dissimulare uel per ignorantiam sese liceret excusare. uno itaque eodemque pietatis officio et infirmorum roboratur deuotio et incredulorum redarguitur obstinatio. sed licet audirentur laudum praeconia, uiderentur religiosae deuotionis obsequia, cum Hebraeorum pueri innocentia uestiti, uestimenta sua prosternerent in uia; nullatenus tamen ad fidei gratiam flecti potuit infidelium duritia.

Nam e contrario his uisis et auditis, quidam pharisaeorum, ut Lucas testatur, non solum ad suscipiendum saluatorem ingrati fuerunt, sed et susceptores eius quantum in ipsis erat repellere et ora laudantium inuidiose calumniando obturare nitebantur. quibus cum difficile uideretur immo impossibile, tantam multitudinem tam uehementi spiritus feruore in diuinis laudibus accensam uiolenter conpescere, ipsum qui laudabatur adeuntes, assumpto quodam fictae reuerentiae uelamine, adhortantur dicentes: *magister increpa discipulos tuos*, turbas scilicet laudantes, uel apostolos plebem ad laudandum instituentes. uolebant ut haec sibi exhiberi ipse prohiberet, quasi qui homo tantum, non etiam Deus esset. *quibus ipse ait: dico uobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* ipso enim crucifixo, apostolis prae timore tacentibus, petrae quae scissae sunt Dominum et creatorem suum protestabantur. futurum quoque erat, ut cum caecitas contigisset in Israel, istis a laude Dei obmutescentibus, populus gentium mollito corde lapideo, Deum crederet ac fideliter annuntiaret. uerum quia ad piae responsionis uerba auditum eorum aspidis more obdurari cognouit, quantum totius ingratae

27. Luc. 19, 39. — 31. Luc. 19, 40.

ciuitatis miseriae uel calamitati futurae compateretur ostendit; ait enim euangelista subdens: *et ut appropinquauit, uidens ciuitatem fleuit super illam, dicens: quia si cognouisses et tu,* subaudis fleres, quae modo, quia nescis quod imminet, exsultas. et futurae euersionis poenam, quam defleri a perfida ciuitate oportuerat, denuntiat, flendo adiciens: *equidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. quia uenient dies in te, et circumdabunt te inimici tui uallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem:* moxque causam euersionis adiungens ait: *eo quod non cognoueris tempus uisitationis tuae.* cuius uisitationis contemptum alibi manifestius ostendit dicens: *ego ueni in nomine patris mei* et non suscepistis me, alius ueniet in nomine suo, illum suscipietis. hic est fletus Domini, quia uisitationis eius susceptores non inueniuntur idonei, magistrum erroris antichristum pro auctore salutis postmodum suscepturi.

Sed uideamus, an felicibus eius lacrimis quisquam ex perfida ciuitate resipuerit et lacrimantem regem lacrimoso paenitentiae occursu exceperit. equidem paulo ante illi exinde processerant, qui uestimenta sua cum ramis palmarum uestigiis eius substernebant, postmodum autem, cum iam introisset, Matthaeo referente cognouimus, quia *commota est uniuersa ciuitas dicens: quis est hic?* quia tanta turbarum frequentia comitatus, et diuinae laudis consonantia honoratus introierat, qui hactenus absque huiusmodi pompa uenire solebat; ingrata ciuitas gloriae huius admiratione stupefacta, quisnam esset ambigere coeperat. ad suscipiendum eum tam imparata erat, ut etiam de cognitione dubitaret, et nec ut prophetam a Nazareth Galilaeae susciperet. quomodo igitur uisitationis suae tempus agnosceret, quae ipsum uisitationis auctorem ignorabat? ille autem coepta pietatis largitate circa ingratos longanimiter utebatur, ut ipso salutem in medio terrae operante, salutis eiusdem contemptores inexcusabiles inuenirentur. de quibus et ipse alibi ait: *si non uenissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* nam postquam periturae ciuitati piae

12. Luc. 19, 41—44. — 14. Conf. Io. 5, 43. — 24. Mat. 21, 10. — 36. Io. 15, 22.

compassionis lamentum clementer impendit, etiam iustitiae districtionem pro eius correctione potenter exercuit. locum enim, quo digne suscipi debuerat, *templum* uidelicet *ingressus, coepit eicere uendentes in illo et ementes, dicens illis: scriptum est: quia domus mea domus orationis est. uos autem fecistis eam speluncam latronum.* ecce iustitiae disciplina. sequitur tertia curationis species: *et erat docens cottidie in templo.* ecce quod ait psalmista: *misericordia et ueritas praecedent faciem tuam.* praecesserat in lacrimis opus misericordiae, subiuncta est seueritas disciplinae; ad consummationem uero caelestis magisterii sequitur gratia doctrinae. et ut exemplum praebeatur perseuerantiae, additur *cottidie.* sed cum omnia haec saluator clementer atque potenter circa ingratos peregerit, uideamus an a quoquam susceptus fuerit, an uspiam in tanta ciuitate debitae mansionis locum inuenerit.

Indignos eos tanti hospitis susceptione Matthaeus euangelista patenter ostendit, qui consequenter adiungens ait: *et relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit.* o quam manifestis patet exemplis, quod apostolicis astruitur uerbis: quia *ignobilia et contemptabilia huius mundi elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret.* Hierosolyma ciuitate regia contempta, uico paruo contentus, hospitatur in Bethania. Marthae et Mariae humile hospitium auro radiantibus praetulit palatiis diuitum; illarum magis ministerio, quam sacerdotum uel pharisaeorum delectabatur conuiuio. nec mirum: Bethania quippe domus oboedientiae dicitur, ubi oboedientissimus ille recte suscipitur, qui pro nostra inoboedientia *factus est oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* de illa uero ciuitate, in qua non inuenit ubi caput suum reclinaret, discipulis paulo ante dixerat: *ite in castellum, quod contra uos est.* contra eos erat, quia credere uel oboedire illorum doctrinae nolebat, ideoque Christum habere hospitem non poterat.

Inter haec quid nobis est agendum obstinatam considerantibus incredulitatem Judaeorum? detestamur ciuitatis illius statum, in qua cum uulpes habuerint foueas, et uolucres caeli nidos, filius hominis non habuit ubi reclinaret caput suum. ad contu-

7. Luc. 19, 45—47. — 8. Ps. 88, 15. — 18. Mat. 21, 17. — 21. I. Cor. 1, 28. — 28. Phil. 2, 8. — 30. Mat. 21, 2.

endam euagamur miseriam alienam, et ne ad momentum quidem oculis propositam retractare curamus conscientiam propriam. proinde reuertatur unusquisque in domum suam, uideat et diiudicet causam suam. sed et ego primus omnium reuertar in domum meam unde exiui, ne forte immundus ille spiritus, qui opitulante Domino in prima sacramentorum caelestium perceptione expulsus est a me, uacantem illam et in superficie tantum ornatam inueniens, assumptis sibi septem aliis spiritibus nequioribus se reuersus ingrediatur et habitet in ea. quin potius ego redeam, ut aliquando etiam domui meae, quae necessaria sunt, disponam. scio enim, et iuxta quod scriptum est: *qui addit scientiam, addit et dolorem,* sciens uehementer doleo, miserabile illud cordis mei castellum Domino uenienti saepe fuisse contrarium, et aliis cum uictoriae palma ei occurrentibus, me numquam debitum persoluisse obsequium. sed utinam tandem aliquando praemissis ante faciem suam angelis metatoribus, dicere dignetur: *ite in castellum, quod contra uos est, et asinam alligatam,* animam scilicet peccatorum nexibus obstrictam, *soluite et adducite mihi.* ipso enim miserationis suae et absolutionis meae edictum promulgante, non est qui contradicat, non est qui ulterius detinere audeat. licet uiolenti et obstinati, cedent tamen dominatores antiqui, remittentes legitimo possessori iumentum suo hactenus obnoxium famulatui. uos autem, dilectissimi, qui non in uacuum ut speramus gratiam Dei recipitis, super ingratos eius susceptores immo contemptores pietatis uiscera effundite, eisque qui laetantur cum malefecerint et exsultant in rebus pessimis, exemplo Domini debitae compassionis lacrimas impendite. huiusmodi enim ciuitates, id est animae peccatrices, regi regum per superbiam rebellantes, improuisae tandem obsidionis angustias incident, immites aduersarios tyrannica se uastatione ad terram prosternentes nisi resipuerint sustinebunt. pro talium quippe commonitione haec et alia huiusmodi diuinae longanimitatis et humanae obstinationis exempla qualibuscumque uerbis in hoc opusculo replicare uolui, si tamen in tanta sanae doctrinae copia diuinitus usquequaque diffusa, mei quoque sedulitas non excludatur officii. ceterum uobis, ut iam dixi, ad hoc tantum ista proficiant, ut ad alienae miseriae compassionem corda uestra permoueant. est

12. Eccles. 1, 18. — 18. Mat. 21, 2.

etiam non modica innocentis animae aedificatio, concepta ex his diuinae miserationis consideratio et iudiciorum Dei sollicita recordatio.

CAPITVLVM XX.

Quo apparatu ad celebrandum Pascha suscipi uoluerit Dominus.

Quamquam, fratres carissimi, maioribus uos intentos ad audienda haec qualicumque paruitatis meae conatu prolata aliquamdiu detinuerim, obsecro tamen ut sustineatis adhuc *modicum quid insipientiae meae.* quis enim infinitum illum decorem domus Dei, quem se psalmista diligere testatur, humanae tarditatis ingenio eotenus attingere, uel sermonis officio explicare ualeat, ut quanto munditiae ac reuerentiae occursu, quantis bonorum omnium impendiis, in templo suo suscipiendus sit Dominus, sufficienter ostendat? proinde quod in hac parte quicquam ultra uirium mearum mensuram adtemptando factus sum insipiens, mediante et instigante caritatis affectu uos me coegistis. uerum quia tardi uiatoris more licet breuioris uiae spatio defatigatus, a proposita scribendi intentione uelut ab itinere quodam, repausandi gratia iam iam diuertere desidero, circumductis usquequaque oculis opportunum non tam corporali quam spirituali requiei locum sollicite quaero. et ecce iucundum satis desideranti mihi occurrit diuersorium, uideo locum ab ipso Domino ac saluatore nostro ad agenda paschalis mysterii sollemnia speciaLiter expetitum. audio quippe eum referente Luca, duobus discipulis Petro et Joanni huius ministerii negotium iniungentem ac dicentem: *euntes parate nobis Pascha, ut manducemus.* sicut hic, ita et superius ad asinam soluendam et ministerio eius exhibendam, duo discipuli mittuntur; et alibi septuaginta duo designati, ac bini ante faciem eius in omnem ciuitatem et locum, quo erat ipse uenturus, praemissi referuntur. quod idcirco pietatis auctor fieri disposuit, ut impleretur quod ipsis aduentus sui praecursoribus polliceri dignatus est dicens: *qui uos recipit, me recipit,* et alibi: *qui susceperit unum paruulum talem in nomine meo, me suscipit.*

10. II. Cor. 11, 1. — 27. Luc. 22, 8. — 31. Luc. 10, 1. — 34. Mat. 10, 40. — 35. Mat. 18. 5.

Susceptores ergo suos congrua tantae praecursionis uisitatione instrui et praeparari oportebat, quemadmodum sole irradiandos praeueniens nos aurora illustrat. commodius quippe solis fulgorem toleramus, cum depressum nocturna quiete uisum moderatiori aurorae lumine contemperauerimus. nonne eidem figurae psalmista quoque concinit dicens: *iter facite ei, qui ascendit super occasum?* neque enim ullatenus ipsum iustitiae solem suscipere mereremur, nisi praeeunte in praeconibus ueritatis lumine illustrati, capaciores efficeremur. per binos uero praecursores, quid aliud quam geminae caritatis gratia innuitur, qua praecipue ad suscipiendum Deum corda fidelium praeparantur? et haec quidem generaliter de praemissis ante faciem eius praeconibus dicta sint. ceterum hi, qui praesenti loco missi perhibentur, Petrus uidelicet et Joannes, quem praecipue locum tantae gratiae sollemniis dedicari oporteret ignorantes, Domini iudicio hanc electionem committunt dicentes: *ubi uis paremus?* ac si dicant: tu solus nosti corda filiorum hominum, tibi omnis uoluntas loquitur, te nullum latet secretum; incertae uero sunt prouidentiae nostrae, et ubi digna suscipiaris honorificentia, nobis ignorantibus solus intueris. ipse ergo ut Deus omnium praescius, de his quae alibi geruntur, cum ipsis in praesenti loquitur, et susceptorem suum magis rerum accidentium indiciis, quam appellatione indicat nominis. *ecce*, inquit, *introeuntibus uobis in ciuitatem, occurret uobis homo amphoram aquae portans: sequimini eum in domum, in quam intrat, et dicetis patri familias domus: dicit tibi magister: ubi est diuersorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? et ipse uobis ostendet cenaculum grande stratum, et ibi parate.*

Ecce locus a Deo paratus et praeelectus, omnium deliciarum suauitate plenus. cuius loci possessor ideo sine nomine designatur, ut pauper et ignobilis aestimetur, qui a Domino eligitur; quia ipsi infirmorum et pauperum electio proprie ascribitur. ipse autem locus altus magnus et stratus diuinarum scripturarum sublimis et spiritualis est intellectus, ab angustiis litterae adeo subleuatus, ut conuiuanti cum discipulis saluatori esse possit idoneus. hic enim paschalis conuiuii fercula fidelibus ab ipso proponuntur, dum uniuersa, quae in lege uel prophetis

7. Ps. 67, 5. — 16. Mat. 26, 17. — 28. Luc. 22, 10—12.

sunt praedicta, in se docet adimpleta. procul ab hoc cenaculo Judaica repellitur intelligentia, litterae tantum superficie contenta; procul etiam animalis homo, licet regeneratus baptismatis sacramento, qui nequaquam baiulum aquae, id est praeconem gratiae sequitur, ut ad domum conscientiae reuertatur, sed in imo terreni sensus cum Judaeis Pascha celebrare conatur. felix autem loci huius possessor, sapientiae uidelicet ac scientiae prudens inuestigator, et efficax assecutor, idoneus Domini susceptor, qui uelut in sublimi cenaculo, debitum ei conuiuii sui obsequium in mentis exhibeat solario. utinam et mihi licet omnium ultimo ad huius cenaculi fores excubare liceat; utinam miserator et misericors Dominus residuas cenae suae micas mendicanti mihi indulgeat. timeo enim terribiles illas prophetarum sententias, quibus desides et imperitas ob inopiam spiritualis scientiae castigant animas. ait enim Oseae: *conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam.* et ne minus multati uiderentur noxio silentio, essetque spes aliqua de reliquo, grauiori statim plectuntur iudicio. sequitur enim ex animaduersione diuina districtior sententia: *quia tu,* inquit, *scientiam repulisti, repellam te et ego, ne sacerdotio fungaris mihi.* nam quia diuina lege sancitum est, ut labia sacerdotis custodiant scientiam, et legem requirant ex ore eius, ipso scientiam repellente, quid restat, nisi ut a gradu repellatur sacerdotii, qui gratiam sui non implet ministerii? Isaias uero multo his grauiora, immo nouissima et acerbissima omnium mala, captiuitatis scilicet famis ac sitis, populo suo pro scientiae defectu accidisse commemorat, quae a nobis diuina pietas clementer auertat. ait enim inter cetera: *propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles eius interierunt fame, et multitudo eius siti exaruit.* quo loco licet realiter fames illa et sitis intelligatur, qua in obsidione uel captiuitate attenuati sunt, spiritualiter tamen illa scientiae penuria insinuatur, quam Amos propheta denuntiat dicens: *ecce dies uenient, dicit Dominus, et emittam famem in terram, non famem panis neque sitim aquae, sed audiendi uerbum Domini.* quae uero pernicies inde consequatur, non sine gemitu adicio: *in die,* inquit, *illa deficient uirgines pulchrae et adolescentes in siti.* miseranda prorsus uastitas, quae non quoslibet

16. Os. 4, 6. — 20. Os. 4, 6. — 30. Js. 5, 13. — 37. Am. 8, 11. sq.

abiectos de plebe, sed ipsos humani generis praecipuos ac iucundissimos absumit flosculos.

Quocirca ad sublimitatem illam spiritualis cenaculi, in quo Dominus fideles suos paschalibus reficit sacramentis, omni uirtute contendamus; hic enim famis et sitis totiusque captiuitatis angustias euademus. contra famem quippe immortalem hic praebuit alimoniam dicens: *accipite et manducate* ex hoc omnes. similiter contra sitim porrexit calicem, accipite, inquiens, et bibite ex eo omnes. et sicut hanc nobis gratiam collaturus, in cenaculo suscipi uoluit Dominus, ita postmodum, cum iam complerentur dies Pentecostes, item in cenaculo, cum omnes pariter essent discipuli, suscipi dignatus est spiritus sanctus. hic ergo computruit iugum captiuitatis nostrae a facie olei, id est a praesentia spiritus sancti. ecce quantum ualet altitudo cenaculi, ubi iam secundo manifestata et suscepta ac magnifice operata est praesentia Dei. uerum ut et amplius aliquid de multitudine miserationum eius dicere praesumam, quisquis spirituale cenaculum, id est sublimem illum in scripturis diuinis meditando frequentare consueuit intellectum, credo quia saepius uisitantem se suscipere mereatur Deum. sacra namque scriptura diuinitus inspirata et ipso dictante ad salutem credentium est edita; neque cuiquam nisi ipso reuelante profunda et obtecta patere posset eius intelligentia. si ergo homo hominem familiariter alloquens, ipsum cui loquitur et animo et uisu attendit, Deus ipse, qui per suae maiestatis potentiam ubique praesens est, eum, cui scripturarum suarum arcana prae ceteris mortalibus secretius reuelat, etiam familiarius non uisitat? immo credendum, quia in corde eius tamquam in cenaculo sibi gratissimo susceptus mansionem faciat, et incognitam aliis paschalium sacramentorum iucunditatem diffundat.

Sed de his hactenus. usque huc enim Domini uestigia secuti sumus, quam uarie diuersis in locis et a diuersis susceptoribus exceptus sit, prout uirium possibilitas permittebat, indagare curauimus; ad extremum uero locum istum altum magnum et stratum, ubi desiderio desiderauit Pascha manducare expetiuimus. sed numquid hic eum deserimus? numquid dicente ipso: *surgite, eamus hinc*, nos qui usque modo laeti in comitatu eius

7. I. Cor. 11, 24. — 37. Io. 14, 31.

processimus, imminente iam passionis articulo, pigri residebimus? absit. *sequebatur eum multa turba populi et mulierum, quae plangebant et lamentabantur eum.* et uos fratres sequimini passibus fidei uestigia dilecti iam non morituri, certissime confidentes, quia sicut tunc praetermissa furentis populi turba, ad solas illas filias Hierusalem suo amori deditas pietatis suae oculos conuertit, ita uestris quoque sanctis desideriis solita gratiae largitate respondebit. itaque consummato iam passionis triumpho, uideamus quanta fidei deuotione exanimatum corpus a Joseph iusto expetitum susceptum et honoratum fuerit.

Alii uiuentem non tantum contempserant, sed et contumeliis et ludibriis usque ad mortem crucis affecerant; iste etiam defunctum amplectens congruis ueneratur obsequiis. uidetur ergo iustus iste deuotos quoque Domini susceptores meritorum gloria praeire, eo quod illi uiuentem et miraculis refulgentem honorauerint, hic autem patibulo crucis affixum corpus exanime uenerabiliter deposuerit, et in monumento suo nouo condiderit. magna uere susceptionis huius gratia immortalis erit etiam susceptoris ipsius memoria. *cum iniquis deputatus erat* Dominus, inter latrones duos medius pendebat, clauis affixus, uulneribus cruentatus, transeuntibus per uiam ignominiosae mortis spectaculum praebebat. at Joseph iustum nihil horum a fidei suae constantia permouet; non enim quae uidentur sed quae non uidentur considerans, ista magis gloriae quam ignominiae deputat. *uide*amus autem quid nobis intrinsecus insinuetur agendum, per celebre hoc obsequium corpori dominico impensum. sindone munda inuoluitur et in monumento nouo de petra exciso collocatur. erat autem monumentum ipsum in horto. nec aromata sepulturae huic defuerunt, quia uenit et Nicodemus in eisdem exequiis suam quoque deuotionem ostensurus, ferens mixturam myrrhae et aloes quasi libras centum. felix qui spiritualiter ista Domino exhibere potuerit, et ad suscipiendum eum talibus impensis abundauerit. quasi munda sindone inuoluitur, cum in simplicitate et munditia mentis nostrae suscipitur. in nouo autem et de petra exciso monumento ei locum damus, si in nouitate uitae ambulantes, et in constantia fidei petrae similitudinem tenentes, grato illum hospitio honoramus. ea nihilominus quae

3. Luc. 23, 27. — 19. Luc. 22, 37.

horti uiriditate designantur, germinantia uirtutum odoramenta in eius semper susceptione flagrabunt, ea nimirum copia, quam in sponsae thesauris exuberare dilectus testatur dicens: *Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum uniuersis lignis Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis.*

Et haec quidem ad commendandam ac spiritualiter imitandam deuotionem Joseph breuiter perstrinxerim. a quo dum corpus dominicum debita reuerentia suscipitur ac sepelitur, ipse Dominus uirtutum et rex gloriae multo gloriosius alibi susceptus creditur. qui postquam morte sua mortis principem superauit, sedem regni eius, infernum scilicet, ubi captiui tenebantur electi, praecedente se angelici exercitus militia potenter adiit. metatoribus itaque angelis principes tenebrarum imperiosa uoce turbantibus atque dicentibus: *attolite portas principes uestras, et eleuamini portae aeternales: et introibit rex gloriae.* illi auditu et aduentu insolito attoniti respondent: *quis est iste rex gloriae?* et angeli: *Dominus*, inquiunt, *fortis et potens: Dominus potens in praelio: Dominus uirtutum ipse est rex gloriae.* his auditis, et cognita redemptoris praesentia, sanctorum populus, qui tenebatur in morte captiuus, continuo assurgit regem gloriae gloriose suscepturus.

Neque enim tunc primum iucundissimum illud salutis huius nuntium audiebant, sed olim iam et a diebus antiquis ex diuina reuelatione multi eorum cognouerant. ibi enim sanctorum prophetarum laudabilis ille chorus pendula expectatione cum reliquis, quod praedixerat, praestolabatur, iamque impleri, quod totiens promissum fuerat, laetabatur. illic protoplastus mortiferum illud serpentis caput contritum cernebat, sicut in ipsa origine, cum iam ab eo circumuentus fuisset, audierat. haec est dies Domini, quam egregius ille angelorum, immo ipsius susceptor et hospes Abraham quondam praeuiderat et gauisus est, qua nunc suscepta illustratus est. ecce Isaac, quod in odore filii sui modice praegustauit, hodie manifesta claritate suscepit, cum ad descensum caelestis Domini profundum panderetur inferni, et peregrinum sibi lumen miraretur nox aeterna baratri. quid referam Simeonem, quanto tripudio susceperit de morte triumphantem, quem pridem ad solatium desiderii sui in ulnis suis

5. Cant. 4, 14. — 18. Ps. 23, 7—10.

suscipere meruerat infantem? Joannes quoque, praecursor Domini, paulo ante illo descendens, certae et quantocius affuturae redemptionis nuntium detulerat, et consummato praecursionis suae officio, sedentes in regione umbrae mortis laetificauerat. his aliisque innumeris caelestium promissionum praecurrentibus solatiis, tandem ipse Deus totius consolationis descendit consolari omnes, qui eum ex toto corde desiderabant. unde non dubium, quod uberrimis lacrimarum fontibus ex magnitudine gaudii profluentibus fuerit susceptus, omnibus in unum lacrimabili uoce proclamantibus: aduenisti desiderabilis quem expectabamus in tenebris, ut educeres hac nocte uinculatos de claustris. sed quae mens concipere, quaeue lingua desiderii huius magnitudinem et alacritatem ualeat exprimere, quo sanctorum animae saluatorem tot saeculis expectatum, tantis gemituum et lacrimarum uotis exoptatum suscepere?

Proinde ad nosmetipsos potius redeamus. talis enim desiderii feruore nos multo magis aestuare conuenit, sic a conualle lacrimarum et de locis tenebrarum harum ad uerae lucis patriam suspirare, ut eidem redemptori nostro ex corde dicere possimus: educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo Domine. nos quippe eo grauioribus indigemus lamentis, quo mole artioris premimur necessitatis. illi enim meritorum gloria insignes, carnis iam ergastulo absoluti, repositam sibi apud iustum iudicem iustitiae coronam certissime sciebant, cuius interim aduentum spe felici expectabant, piis desideriis inuitabant. nos uero praeter communes praesentis exilii aerumnas, innumeris peccatorum nexibus constricti, et ob hoc accusante conscientia trepidi, districti iudicis praesentiam formidamus; in sola tamen eius misericordia suspiramus. praestet igitur ipse ad se confugientibus fiduciam, qui redemptionis praerogare dignatus est gratiam, ut quem redemptorem laeti suscepimus, uenientem quoque iudicem securo reddendae rationis apparatu suscipiamus, cui est honor et imperium cum Patre in unitate Spiritus sancti per infinita saecula. Amen.

TVTONIS

DE PRAECONIIS SANCTAE FELICITATIS MARTYRIS LIBER.

PROLOGVS.

Venerando et amando abbati Gumperto et unanimi domesticorum sanctae Felicitatis collegio Tuto, ultimus pauperum Christi, ex congregatione Tharisiensis coenobii.

Cum ante annos aliquot familiarem sanctitatis uestrae notitiam habuerim, maxime tamen, ex quo te, pater uenerande, tam sensu quam capite canum nosse coepi, tanta uobis deuotione constrictus sum, ut iam dudum, si potuissem, sincerum cordis mei affectum aliquo seruitutis effectu declarassem. uoluntas autem Dei fuit, ut ad huius uoti opportunitatem tandem aliquando mihi occurreret, quod uolebam. nec mirandum, si non tam cito quemadmodum Jacob, cui non in reconditis ferarum lustris sed in pastu mansueti gregis, utpote domestico uenatori, citius occurrere potuit, quod uolebat. ex domesticis quippe animalibus Deo uel proximo delectabiles offert cibos, qui de bono thesauro cordis sui profert bonum, et dicere potest cum propheta: *in me sunt, Deus, uota tua, quae reddam, laudationes tibi.* quocirca his, qui ad exemplum Esau circa inutilem transitoriae uoluptatis capturam occupantur, diuina voce dicitur: *redite, praeuaricatores, ad cor.* est autem uenationis meae huiusmodi occasio, quae sese cupienti obtulit animo. cognoui sanctam deuotionis uestrae sedulitatem, qua iuxta morem praedicti Jacob simpliciter in tabernaculis uirtutum habitantes Rebeccam excolitis matrem, cuius adiutorio summi patris consequamini benedictionem. quae est autem mater ista Rebecca?

Nimirum beata Felicitas. Rebecca quippe interpretatur patientia. cui uero nomen hoc rectius congruit, quam ei, quae

16. Conf. Gen. 27. — 19. Ps. 55, 12. — 22. Js. 46, 8.

S. Felicitas.



octies passa tot patientiae coronas accepit? ad huius ergo matris obsequium mutuo uosmetipsos cohortamini, ad laudem eius alterutrum praeuenire nitimini. unde quibusdam uestrum placuit, ut et me tantillum studiis suis adsciscerent, et in eadem, qua matrem honoratis deuotione, collaudatorem haberent. meminerunt de lectione euangelica: *intrauit* Jesus *in quoddam castellum*, Anselmi Cantuariensis archiepiscopi haberi tractatum, beatae Mariae semper uirginis praeconio specialiter consecratum; nihilominus et in cantica canticorum Ruperti abbatis Tuiciensis opus eximium, ad eiusdem sanctissimae personam formatum. exigunt itaque, ut hoc exemplo suae quoque, immo et nostrae matri, beatae Felicitati titulum specialis erigam laudis, proposita mihi materia de ultima parte prouerbiorum Salomonis.

Et illi quidem sancti patres pro indulta sibi diuinitus gratia, tam sensu quam eloquentia affluentes, decentissime matrem praedicant et uirginem; unde autem hoc mihi, cui dicit Deus: *quare tu enarras iustitias meas*, ut digne laudare ualeam martyrum matrem et martyrem? ueruntamen etsi indignus nequaquam ero indeuotus, sperans minutum hoc, quod ex paupertate mea in gazophylacium mitto, beatae Felicitatis, quae multum misit, commendari precibus. ut uero calumniatoris os obstruerem, nil meo arbitrio in hac parte praesumpsi. tanta est enim domini abbatis mei beneuolentia, ut ipso fauente manum huic opusculo imposuerim, eius magisterio corrigendum praesentauerim, ipsius quoque permissione uobis hoc obtulerim.

Vestrae igitur, pater beate, omniumque filiorum uestrorum defensioni sub testimonio sanctae martyris, cui dicatum est, depositum istud iterum iterumque commendo, ut etsi aliis quibuslibet notabilis in hoc mea uideatur praesumptio, uobis tamen amabilis sit deuotio. proinde quia omnis detractor eradicabitur, quicumque huius uitii labe infectus libellum istum attigerit, parcat tam sibi quam mihi, timeatque lacerare, quod tantae matris ac domesticorum eius munitur auctoritate.

6. Luc. 10, 38. — 13. Prou. 31, 10—31. — 17. Ps. 49, 16.

PROOEMIVM.

Mulierem fortem quis inueniet? procul et de ultimis finibus pretium eius.

Interrogatio ista cum subiuncta ipsius, qui interrogat, responsione quasi quoddam uidetur subsecuturae laudis prooemium, quo excitatus auditoris animus torporem discutiat, et ad intelligenda tantae sublimitatis praeconia uigilantior exurgat. subnectitur enim numerosus uirtutum catalogus mira uarietate distinctus, sumiturque discreta ex omni parte laudis materia: nunc a persona uel dignitate uiri, nunc a sua propria; tum ab operis instantia, tum a uigiliarum industria et ceteris huiusmodi, quae singula suis in locis annotantur. quia uero sancti patres, quorum discretione diuinorum officiorum ordo promulgatus est, praeconia haec beatae Felicitatis sollemnitati asscripserunt, utpote quae non minus perfectae huic aeterni regis sponsae, quam uniuersali ecclesiae congruere iudicauerunt, restat auctore Deo, qualiter his exornata fuerit, demonstrare.

Hanc igitur mulierem fuisse fortem, immo uirilem exercuisse fortitudinem, fusus pro testamento Dei sanguis ipsius attestatur. cuius eo usque profecit fortitudo, ut non solum ipsa martyrii poenas forti animo euinceret, sed etiam filios, quos lacte carnis potauerat, ad bibendum Domini calicem confortaret. propheticus ergo spiritus, qui ad declarandas in hac parte generales sanctae matris ecclesiae laudes Salomonis cor dilatauit, hanc nihilominus martyrem et martyrum matrem specialiter attendit, cuius inuentorem quasi cum admiratione quadam inquisiuit dicens: *mulierem fortem quis inueniet?* quis enim tantum bonum tantamque fortitudinem inuenisset, nisi ille summe bonus et manufortis, sine quo nihil est ualidum nihil sanctum, primo uenisset, et hanc cum ceteris omnibus debilem inueniens suo aduentu fortem fecisset? quod protinus insinuatur, cum subditur: *procul et de ultimis finibus pretium eius.* relictis quippe nonaginta nouem ouibus in montanis illis caelestibus abiit procul in conuallem hanc lacrimarum quaerere unam, quae errauerat, pro

CLARIOR HIC VERI RENITET VIRTVS HELISEI
YSEIAS
HELISEVS
VENDE OLEVM ET REDDE CREDITORI TVO
LLLL OFFERE BANTVLAS.
SCA FELICITAS IANVARI.
FELIX
PHILIPPVS
IACOBVS
ET ALIVNA
ALEXANDER
SYLAVS
VITALIS
INFVNDEBAT.
VADE FAC CITO QUOD PRECEPIT TIBI DEUS. CRESCIT HIC LIQUOR.

cuius salute non aliud impendit pretium quam se ipsum, utique pretiosissimum.

Hic ergo solus omnem uiam disciplinae adinuenit, qua filiciter inuentam beatam Felicitatem informauit et erudiuit, ut secundum nominis sui praesagium felicitatem perpetuam ipso adiuuante inuenire meruerit. proinde iuxta moralem sensum haec ipsa uirtutum opulentia diuinitus ei collocata pretium ipsius appellari potest, quia ex hac pretiosa in conspectu Domini apparuit. tantum namque in animabus fidelium sanctitatis est pretium, ut et mali, qui bonum hoc non ad imitandum sed ad subuertendum quaerunt, magnum et multiplex licet inuidiosa aestimatione iudicent. aiunt enim lactando fautores suos similes sibi: *abscondamus tendiculas contra insontem*, et post pauca: *omnem pretiosam substantiam reperiemus: implebimus domos nostras spoliis*. o quam uerum in hac parte inimicorum testimonium! *omnem*, inquiunt, *pretiosam substantiam;* nihil enim deest timentibus Deum. caritas quippe, quae in eorum cordibus principaliter regnat, cum bona omnia in se contineat, eorum etiam, quae deesse uidentur, consortes eos facit.

Cur autem hoc pretium fortis huius mulieris procul et de ultimis finibus esse dicitur? quia uidelicet *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum*. procul ergo a desidiosis ac negligentibus et ima quaerentibus, quos beatus apostolus pia exhortationis manu erigit dicens: *quae sursum sunt quaerite, quae sursum sunt sapite, non quae super terram*. mulierem igitur tam fortem, tam pretiosam quis nostrum inueniet; cum procul et de ultimis finibus sit pretium eius? quaerimus plerumque intercessionis eius inuocando suffragia, sed multo attentius quaerenda sunt ad imitandum sanctitatis eius uestigia. uiderit unusquisque, quid et quomodo quaerat. quibusdam enim diuinum necessitatis tempore auxilium quaerentibus sed recte uiuendi consilium uel exemplum in tranquillitate negligentibus per Isaiam dicitur: *si quaeritis, quaerite*. quod planius exponitur, cum statim subiungitur: *conuertimini*, et *uenite*. recte quippe, quod supplicando quaerit, meretur inuenire, qui ad eum, cui supplicat, uiuendo studet peruenire. uere felix quis-

15. Prou. 1, 11 et 13. — 23. Jac. 1, 17. — 26. Col. 3, 1 sq. — 34. Js. 21, 12.

quis ille est, qui pronuntiantem audiens Spiritum sanctum: *mulierem fortem quis inueniet,* felicissimae huius matris Felicitatis uestigia sibimet pro modulo suo impressa recognouerit. hic enim mulierem fortem iam nunc aliquatenus inuenit, quia pretium eius, quod procul et de ultimis finibus est, in conscientiae suae loculis possidet.

Talis nimirum etiam loquendo uel scribendo illam posset inuenire, id est beatitudinis eius praeconium tam proprie tamque uiuaciter auditoribus insinuare, ut quasi praesentem digito uideretur ostendere. nonne sic eam beatus et singularis ille Gregorius inuenit aliisque ostendit, qui nobilem illum lectionis euangelicae tractatum laudis eius titulo insigniuit? sane, ubi nostri codices habent: *procul et de ultimis finibus pretium eius,* alia translatio sic posuit: pretiosior est autem lapidibus pretiosis. et hoc quoque beatae Felicitatis praeconiis aptissime congruit. sunt enim lapides pretiosi, lapides uiui, martyres sancti, quibus tamen comparata martyr ista pretiosior inuenitur. equidem singuli martyres semel consummato martyrii triumpho coronari meruerunt; haec uero septies in filiorum passione, octauo tandem loco in semetipsa martyrium sustinens, nec iam tantum martyr sed plus quam martyr maioris gloriae palmam obtinuit.

CAPITVLVM I.

Laus a persona uiri.

Quam eius constantiam ipse cordis et renum scrutator longe ante praeuiderat, de quo et subiungitur: *confidit in ea cor uiri sui.* non dubium quin beata Felicitas plurima eorum, quae hic commendantur, tam prius in coniugio quam postmodum in uiduitatis proposito etiam ad litteram actualiter impleuerit, exceptis his, quae mystice intellecta spiritualiter quoque ab ea consummata sunt. creditur enim huic tantae matronae, quae martyrii consecranda erat sanguine, nihil horum defuisse, quibus doctor gentium legitimum uiduitatis ordinem legitur instituisse. cuius reuerentiam et disciplinam describens Timotheo discipulo praecipit dicens: *uiduas honora, quae uerae uiduae sunt. quae uere uidua est et desolata, sperat in Deum, et instat obsecrationibus et orationibus nocte et die. uidua eligatur non minus sexa-*

ginta annorum, quae fuerit unius uiri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit, si omne opus bonum subsecuta est.

Sicut ab apostolo de orationibus uiduarum praescribitur, ita et in gestis beatae Felicitatis commemoratur. sed quid his amplius immorer? cum hinc manifeste clareat, qualiter apostolicae legi oboedierit; quia filios non Romanae rei publicae sed candidatae martyrum militiae educauit, et omne opus bonum sic subsecuta est, ut ad hoc confirmandum sanguine proprio subscripserit. unde bene dicitur, quia *confidit in ea cor uiri sui.* nouerat enim idem uir, Dominus ac redemptor noster, quia conubium, quod amore tantum filiorum susceperat, honorabile in omnibus et torus eius immaculatus fuerat; sciebat plane quod ipse inspirauerat sanctum animae illius desiderium, quo uinculi maritalis absolutionem anhelando expectabat, ideoque certissime in ea confidebat. ex confidentia quippe, quam habebat ipso in uiro, factum est, ut confideret in ea cor uiri sui. dedit testimonium uiro et meruit testimonium a uiro. quod enim testimonium uel praeconium mulieris huius a uiro maius esse possit, quam in hoc, quod confidit in ea cor illius? magnum erat Corinthiis testimonium, quod Paulus perhibebat dicens: *gaudeo, quia in omnibus confido in uobis,* cum tamen quasi homo aliquando falli potuerit. quanto igitur certior Dei confidentia, tanto felicius beatae Felicitatis praeconium, in qua confidere perhibetur cor eius. nec mirum hoc de eo, qui *penetrabilior est omni gladio ancipiti, cuius oculis nuda et aperta sunt omnia,* cum constet etiam ad litteram de carnali eius marito, quod maximam in ea confidentiam habere potuerit, considerans, iuxta quod beatus Petrus ait, in timore sanctam eius conuersationem, cuius erat non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti uestimentorum cultus: sed qui absconditus cordis est homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. confidebat ergo et huius uiri cor de disciplina et prudentia castissimae coniugis, quod uidelicet tam absenti quam praesenti fidem integram seruaret, domum strenue

4. I. Tim. 5, 3—10. — 23. II. Cor. 7, 16. — 27. Hebr. 4, 12 sq. — 34. Conf. I. Pet. 3, 2—4.

gubernaret, eius ubique non minus honori quam utilitati prouideret. et in his omnibus plena ei laus a persona uiri asscribitur.

CAPITVLVM II.

Laus a persona propria.

Quod uero sequitur: *et spoliis non indigebit*, nequaquam ad uirum sed ad ipsam proprie refertur. nec ita dictum est, quasi carere spoliis uel possit uel debeat, immo quod abundet his et tanta ei sit spoliorum copia, ut fiducialiter dicat uiro suo: *laetabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* non recte laetatur super eloquia, nisi cui testis est conscientia sua, quod per oboedientiam ipsa impleuerit eloquia. laetantur quidem plurimi de inflante scripturarum scientia, sed non ut mulier fortis, quae inuenit spolia multa. laetatur ipsa super eloquia, quoniam in diripiendis quae hic commemorantur spoliis, eorundem eloquiorum secuta est magisterium, ipsum uidelicet uirum suum eloquiorum conditorem imitando magistrum. de cuius natiuitate uel nascituri nomine longe prius, quam puer nasceretur et filius nobis daretur, Isaias praenuntiauit dicens: *accessi ad prophetissam, et concepit et peperit filium. et dixit Dominus ad me: uoca nomen eius: accelera spolia detrahere, festina praedari.*

Ad beatam enim uirginem Mariam uere prophetissam, eo quod in corde eius caelestium secretorum thesauri fuerint reconditi, non solus Isaias uerum et reliqui prophetae omnes spiritu prophetico accedentes, Dei filium ex ea incarnandum praeuidere meruerunt, cuius opus esset secundum nomen eius, illud uidelicet nomen, quod Isaiae reuelatum est: *accelera spolia detrahere, festina praedari.* iuxta sensum quippe nominis huius non ad detrahenda fortis armati spolia uenit, immo et regnum eius per tot annorum uolumina inconcussum breui spatio temporis uelut festinans subruit et *ascendens in altum captiuam* exinde *captiuitatem duxit.* a quo instructa et roborata martyr sancta, quaecumque animarum spolia tyranno eripere ualuit, uiro suo fideliter obtulit, ut merito dicatur, quia non tantum in praesenti uita spoliis abundauit, sed nec in perpetuum indigebit. fidelis est enim apud quem reposita sunt, et ei, quae deposuit,

9. Ps. 118, 162. — 20. Js. 8, 3. — 31. Eph. 4, 8.

ad augmentum gloriae sine defectu permanebunt. an aliquando spoliis indigebit, quae iam dudum cum Christo sine ulla manens indigentia nondum tamen rapere desiit? fideles quique meritorum eius suffragia implorantes, a iugo peccati captiuantis hodieque liberantur, daemones ex obsessis corporibus effugati fortitudini eius testimonium perhibere coguntur.

CAPITVLVM III.

Laus a perseuerantia.

Recte legitur de perseuerantiae eius uirtute; subiungitur: *reddet ei bonum, et non malum, omnibus diebus uitae suae,* eidem scilicet uiro, cuius in ea cor confidit. in eo uero, quod non dicitur: dabit uel offeret sed reddet, gratiae commendatio est, quia nec sancta haec in se tamquam ex se quicquam habuit quod daret, nisi prius a Deo percepta danti redderet et uitae muneribus bene uiuendo responderet. et hoc ad beatitudinis eius cumulum, quod inter eos, qui malum omnino et non bonum creatori suo reddere consueuerant, ipsa bonum et non malum reddere satagebat; unde non incongrue ab ipso audire mereretur: *scio, ubi habitas, ubi sedes est satanae,* Romae uidelicet, ubi tunc temporis sedes erat satanae, per Antoninum principem ministrum utique satanae et pontifices templorum; sed tenes nomen meum, et non negasti fidem meam, id est illis reddentibus mala pro bonis, tu bona reddis pro malis. ipsi enim *uiri sanguinum non dimidiabunt dies suos,* sed in malo continuabunt; quos dimidiarent, si paenitentes ad bene uiuendum diuiderent, scilicet si quibusdam actis in malo, reliquos agerent in bono. tu autem non tantum dimidios, quos ab illis pro satisfactione praeteritorum susciperem, sed omnes dies uitae tuae in bono mihi reddis consummatos.

Sane cum beata haec uiuendo semper uitauerit reddere malum, moriendo etiam singulare illud reddidit bonum, quod propheta sollicite quaerens et inueniens, Deo se redditurum deuouebat. ait enim, in semetipso quaerens idoneam et Deo dignam retributionis uicissitudinem: *quid retribuam Domino, pro omnibus, quae retribuit mihi?* et inuentam enuntians subdidit:

19. Apoc. 2, 13. — 24. Ps. 54, 24.

calicem salutaris accipiam. ita ergo et beata Felicitas humilis in oculis suis, non tanti aestimabat omne bonum dierum uitae suae, ut ad retribuendum pro omnibus quae retribuit Dominus sufficiens crederet, nisi et mortem tam pretiosam in conspectu Domini sustineret, quae praeteritam uitam sanctificaret. hunc locum alia translatio sic habet: operatur enim uiro suo bona aeterna, non mala in omni tempore; operatur, inquit, non sibi sed uiro, uita magis quam uerbis nobis insinuans, ut, qui uiuit, iam non sibi uiuat, sed ei, qui mortuus est pro omnibus et resurrexit. uiro enim operatur, id est coram Domino bonum operatur: illi deuota est, illum diligit, illi placere studet. non se ornat, non propter oculos suos nec propter alienos, non est de his, qui sibi placent, non de his, qui sua quaerunt. sibi enim operantur, qui sua quaerunt, non quae Jesu Christi. operatur autem ista uel reddit uiro suo bona aeterna in omni tempore, in praesenti scilicet et in futuro, cantans in aeternum misericordias Domini.

CAPITVLVM IIII.

Laus ab operis instantia.

Qualitas uero uel assiduitas operis, quod praesens exigit uita, discrete exprimitur, cum protinus subinfertur: *quaesiuit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum.*

Venerabilem matronam hanc etiam ad litteram his studiis deditam fuisse nemo ambigit, ut laborando secundum apostolum manibus suis haberet, unde tribueret necessitatem patienti. equidem faciebat hoc non tamen inconsulte nec intemperanter, ut quibusdam moris est, qui modo nimis praecipites modo remissi sunt in opere suo, quod utrumque noxium est, sed *consilio manuum suarum*, eorum scilicet, quos ad similitudinem membrorum corporis necessarios et amicos fideles habebat. absit enim ut tanta mulier manum uel pedem huiusmodi habuerit, quem secundum euangelii praeceptum pro scandalo euitando abscidere et proicere a se debuerit, sed quicumque temporis illius sacerdotes religiosi ac Deum timentes inueniebantur, horum procul dubio familiaritate atque consilio in Dei rebus utebatur. horum

1. Ps. 115, 12 sq. — 10. Conf. II. Cor. 5, 15.

utique officii est pauperum curam gerere, utpote scientium egestatem clericorum uel uiduarum, quas habet ecclesia quaeuis, ut his ex aliorum fidelium subministratione, prout opportunum fuerit, consulant.

Deinde altiori sensu considerandum, quid lana, quidue linum significet. patet autem ex ordine uestimentorum nostrorum, quia interiora sunt linea, exteriora uero lanea. sic et in ipso homine uel omni eius conuersatione quaedam interiora quaedam sunt exteriora, alia subtiliora ut uestis linea, alia grossiora ut lànea. quicquid corpore operamur in promptu est, quicquid spiritu in secreto. actiua ergo uita quasi exterior et grossior tunica per lanam, contemplatiua interior ac subtilior per linum significatur. huiusmodi lanam uel linum studiosius beata Felicitas quaesiuit nosque necessario quaerere docuit. sed quomodo in lana seu lino tali, *operata est consilio manuum suarum?* actiuae quidem uitae officia plerumque manuum exercitio peraguntur, a consilio manuum operari figuratiua locutione dicitur, cuius manus numquam defessae uel languidae sed paratae semper ad bene agendum inueniuntur. qualiter autem contemplatiua consilio manuum agitur? interioris quidem hominis studio, quantum Deo largiente concessum fuerit, obtinetur, bonae tamen actionis ministerio, quod manibus fit, nonnumquam adiuuatur, dum caritas, quae ad fraternae necessitatis opus corporis membra extrinsecus uegetat, mentis oculum mox ad contemplationis gratiam alacrius illustrat. potest etiam per lanam, quae ex carne oritur et de qua uestis exterior conficitur, carnalis ille affectus accipi, quo ad amandos parentes uel consanguineos naturaliter instigamur; per linum uero diuinus, quo ad ipsum Deum diligendum ducimur. linum quippe difficilius a natiuo humore uel uirore ad candorem et subtilitatem perducitur, et mens carnalibus assueta uix aliquando diuinum hunc in se suscipit affectum. littera uero haec ita in alia translatione ponitur: inueniens lanam et linum fecit utile manibus suis. beata ergo Felicitas carnalem illum affectum, quo filios suos diligeret, non aliunde quaesiuit, sed in ipso, ut ita dicam, naturae sinu inuenit; fecit tamen utile manibus suis, ostendens in omni opere suo et in ipso quoque martyrii termino, bene ordinatam sese habere caritatem. tetigit quidem cor eius carnalis ille affectus, morientibus coram se

filiis, gemitum natura exegit, sed maior erat uirtus diuinae dilectionis, quae dolorem uinceret carnis.

CAPITVLVM V.

Laus a negotiatione.

Facta est quasi nauis institoris, de longe portans panem suum. negotiatoris peruigil sollicitudo huius nominis sensu proprie satis exprimitur, ut institor dicatur, eo quod solitis infatigabiliter insistat negotiis. uerus autem institor ipse est, qui ab origine mundi semper humano institit generi, innumera explicans negotia, uniuersa tamen ad unum salutis opus tendentia. ipse primus, immo dux est omnium, *qui descendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis*, id est quos ipse institor institores constituit nauium, rectores uidelicet et principes ecclesiarum. his enim praesidendo faciunt operationem creditae sibi dispensationis in plebibus subiectis, tamquam in aquis multis. hic ergo etiam mulierem hanc fortem, cuius nunc praeconiis specialiter deseruimus, quasi nauim quandam eligere uoluit, quae deferendis per mare huius saeculi mercimoniis caelestibus ditaretur. quocirca firmissimis et acutissimis sancti timoris sui clauis eam confortauit, et ne quam peccati sentinam pateretur, intus ac foris caritatis bitumine liniuit, intus quidem Dei, foris autem muniens dilectione proximi. quam cum bonis omnibus onustasset, sedem sibi in ea tamquam uerus gubernator collocauit, ut impleretur etiam in ipsa propheticum illud psalmistae dicentis: *Deus in medio eius, non commouebitur.* contra quam saeuissimae illius tempestatis procellae insurrexerunt, de quibus frequenter audistis. frigidissimus enim ille uentus, diabolus uidelicet, de quo scriptum est: *ab aquilone pandetur malum super omnes habitatores terrae,* totis malignitatis suae uiribus inualuit, et excitatis in rabiem pontificibus idolorum orta est Romae contra beatam Felicitatem ac filios eius seditio, quasi tempestas ualida.

Sed quid factum est? quo fine uiolentia ipsa grassatur? numquid nauis nostra turbatur uel mergitur? non est tam modicae fidei ut turbetur, nec tam inualidum habet gubernatorem,

12. Ps. 106, 23. — 25. Ps. 45, 6. — 28. Jer. 1, 14.


Salomon.
LVCAS
Facta e quasi nauis institoris.
Confiditur ego uici mundum.
S. felicitas.
Sed felicitas.
Surgens ihesus increpauit uentum
Dominum in medio maris iactabatur.
Nauicula in medio maris iactabatur.
MATHEVS.
DD

qui mergi eam patiatur. quid enim dixit beata haec martyr, quae in figura nauis commendatur, impendente sibi tantorum fluctuum horrore; quid, inquam, dixit collaterali aquilonis, Publio urbis praefecto, qui blando colloquio ad sacrificium eam pro-
5 uocans, minabatur etiam poenarum interitum? nec blandimentis, inquit, tuis resolui potero, nec terroribus frangi. et tamquam surgente aquilone et superueniente austro, de ipsius flatu confisa subdidit: habeo enim Spiritum sanctum, qui me non permittet uinci a diabolo. solent uero naues cogente tempestatis periculo
10 exonerari, ipsa quoque uictualia, quae ad sustentandam uitam portabantur, pro conseruanda eadem uita proiciuntur. et plerumque contingit, ut hi, qui spe uitae uictualia contempserant, acrius postmodum ciborum penuria laborent, quosque mare quasi parcendo conseruat, atrocior famis gladius absumat. quocontra de
15 hac naui nostra dicitur: *de longe portans panem suum. de longe,* inquit, *portans,* non statim naufragii timore proiciens. est autem panis refectio internae dulcedinis, quam degustans anima fidelis ait: *quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine!* hunc panem spirituales quaedam naues, id est credentium animae, persecu-
20 tionis metu abicientes, ipsamque fidem abnegantes, temporaliter quidem euadere uidebantur, sed uiui panis egestate tabescentes, infidelitatis baratro absorbebantur. porro haec nauis licet per saeuitiam passionis uisa sit oculis insipientium absorberi, seruata tamen panis sui alimonia, portum salutis aeternae meruit obtinere.

25

CAPITVLVM VI.

Laus a uigiliarum industria.

Et de nocte surrexit, deditque praedam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. o non solum fortem, immo et uiolentam mulierem! recte supra dictum est, quia *spoliis non indigebit,*
30 cum et hic dicatur, quod *de nocte surrexit, deditque praedam domesticis suis.* non sufficiebant fortitudini et uiolentiae eius tempora diurna, nisi adiungeret etiam nocturna. iucundae illi erant uigiliae, rapiendis et diuidendis spoliis impensae. noctes uero tenebrae sunt temptationum uel tribulationum, nunc occultae
35 nunc autem manifestae, utrobique tamen formidolosae. uerum

18. Ps. 30, 20.

nox illi ut dies illuminabatur, eratque uespere et mane dies unus, id est eadem diuini splendoris illustratio tam in aduersis quam in prosperis cor eius semper irradiabat, ut ex superuenientibus temptationum tenebris magis probata enitesceret, quam obscurata deficeret. unde recte dicitur: *et de nocte surrexit*, ac si dicatur: de nocte tribulationum innumeri, qui uirorum censentur nomine sed uirili carent fortitudine, deiciuntur; haec autem sexu quidem mulier sed animo etiam uiris fortior de nocte surrexit, de tribulatione profecit. sicut enim aromata, cum conteruntur, latius odoris sui flagrantiam diffundunt, ita et pretiosa martyr Felicitas passionum pressuris attrita totam ecclesiae domum emissa uirtutum suauitate respersit. quod enim surrexit, non sibi tantum sed et aliis utile fuit. unde sequitur: *deditque praedam domesticis suis, et cibaria ancillis suis.* quis ergo fuerit usus spoliorum, de quibus praedictum est: *et spoliis non indigebit,* hic innuitur; quod enim rapuit, aliis distribuit; regno caelorum uim fecit, et uiolenter diripuit illud.

Hanc nimirum praedam domesticis suis dedit, id est proposuit, sese in hac direptione imitandam praebuit, faciens docuit, quod faciendum dixit. sane inter domesticos primi computandi sunt filii, omnium utique domesticorum proximi. cunctis etenim domesticis, prout singuli quique capere poterant, uirtutum exempla et salutaris doctrinae monita in commune proponebat, specialius tamen filiis, quos una secum de nocte alacriter surgere uidebat. hi namque ab ipsis infantiae rudimentis ita de uirtute in uirtutem sanctae matris hortatu profecerant, ut et ipsi iam secundum Isaiae uaticinium laetarentur coram Domino, *sicut exultant uictores capta praeda, quando diuidunt spolia.* et notandum, quam signanter dictum sit, quod de nocte praedam domesticis, et cibaria ancillis dederit. in tenebris quippe tribulationum permaxime necessarium est exhortationis solatium, ne lumen cordis immoderato temptationis uento penitus extinguatur. illa ergo nocte, de qua superiore iam capitulo sub marinae tempestatis figura dictum est, beata Felicitas surgens, id est contra hostis tyrannidem inuictae uirtutis uexillum erigens, filiis suis praedam magnam dedit, cum eos, qua uiolentia regnum caelorum diripere deberent, docuit dicens: uidete filii caelum, et sursum

28. Js. 9, 3.

aspicite, ubi uos expectat Christus cum sanctis suis. pugnate pro animabus uestris et fideles uos in amore Christi exhibete. de talibus ante annos aliquot fideliter ab ea praemuniti fuerant, sed quia noctis, id est aduersitatis hora iam instabat, necessarium uidebatur eadem denuo recapitulari. quod autem distincte subiungitur, quia et cibaria dederit ancillis suis, aliis uidelicet praedam, aliis cibaria: ancillarum nomine infirmiores quique ex domesticis eius et ad praedam capiendam impares intelliguntur, quos eadem pietatis magistra aliis disciplinae modis instituere blandisque consolationibus reficere consueuerat.

CAPITVLVM VII.

Laus a possessione.

Considerauit agrum, et emit eum, de fructu manuum suarum plantauit uineam. ad litteram quidem fortis matronae prouida sollicitudo describitur, quae possessionum suarum fines iustis laboribus excolere ac dilatare consueuit. fecerit et hoc beata Felicitas, quamdiu maritali deuincta fuit consortio; soluta uero a lege uiri Christoque liberius iuncta in proposito uiduali, minus iam curare coepit de agro isto, ubi Adam in sudore uultus sui comedit panem suum. ipse quippe sponsus, cui deinceps placere contendebat, alterius cuiusdam agri desiderium cordi eius inspirauerat, illius nimirum agri, quem per psalmistae uocem insinuat dicens: *et pulchritudo agri mecum est.* uere apud eum, qui lucem habitat inaccessibilem, quia nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quae sit illa exuberans plenitudo gratiarum omnium in possessione supernae hereditatis, quam inaestimabile decus illius pulchritudinis! de hoc agro dicitur: *considerauit agrum, et emit eum.* quod uero non simpliciter uidisse sed considerasse perhibetur, maior intentionis eius diligentia exprimitur. nam secundum Danielem, uirum desideriorum, cor suum posuit ad intelligendum, quae sint illa uitae perennis gaudia, quis ille ager in terra uiuentium, qui uacantes et laudantes Deum sine sollicitudine seu labore totius culturae nutrit in perpetuum. ipsam autem considerationis prosprietatem alia translatio expressius indicat, ubi dicitur: prospi-

23. Ps. 49, 11.

ciens agrum, mercata est. prospiciens, inquit, non in praesenti uidens, sed in futuro per fidem et spem prospiciens. si enim quod non uidemus speramus, per patientiam expectamus. unde et de noctibus surgit. noctes illae laboriosae quidem sunt, sed in contuitu agri huius facillime tolerantur, immo etiam optabiliter expetuntur. id enim, quod in praesenti est momentaneum et leue tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis.

Prospexit ergo uel considerauit agrum, et emit eum. quid impendit pretii? omnia pietatis opera, uniuersa spiritualium laborum certamina, proprii uero sanguinis oblationem super omnia et post omnia. hic enim est fructus manuum eius, de quo et agrum emit et uineam plantauit. agri quidem pulchritudine iam dudum laeta et secura perfruitur, de uineae quoque fertilitate fructum colligere non desinit, quem in aeternis promptuariis recondit. uinea eius electa, uestra est, fratres carissimi, congregatio sancta, quam illa dotis nomine susceptam a uiro suo Domino Jesu Christo, possedit ab initio. ex quo enim locus iste a Deo factus sancti corporis eius reliquiis insigniri meruit, ex eo iam deinceps et locus et loci habitatores eius nomini asscribuntur, ipsius patrociniis interius et exterius ab incursantium inimicorum periculis muniuntur. haec igitur uinea meritis eius plantata et exculta et angelorum praesidiis circumsaepta, totiens uelut maturos uinitori summo botros reddidit, quotiens meritis ditatas ad requiem animas praemisit. proinde, fratres, tantae cultrici, cuius uinea esse meruistis, compunctionis uinum indesinenter offerte, ut memor esse dignetur congregationis suae, et dextera Dei plantatae uineae suaque intercessione hactenus defensatae.

CAPITVLVM VIII.

Laus a castitate uel operatione.

Accinxit fortitudine lumbos suos, et roborauit brachium suum. solent matronae domus curam agentes et operi sedulo instantes, laxa et defluentia succingere indumenta, ne fluitantes sinus libero incessui obsistant calcentque superfluum aliquid, dum in operatione festinant. utinam secundum exteriorem hunc habitum, sanctae quoque conuersationis excogitent cultum, ut

uidelicet in cohibitione carnalium illecebrarum beatae Felicitatis imitentur exemplum. haec enim licet prius coniugalem summopere seruauerit castitatem, postmodum tamen proprii corporis accepta potestate, quam sub marito non habuerat, mox praeclarum illud fortitudinis arripuit cingulum, et quicquid in se fluitantis concupiscentiae deprehendere potuit, rigida castigatione restrinxit. sciebat quippe quod is, *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam.* ut igitur sic curreret non quasi in incertum, expeditos habere studebat pedes ad martyrii palmam properantes, metuens ne uel tarditate aliquatenus tepesceret uel lapsu penitus deficeret. proinde ut duplicem in ara Dei hostiam immolaret, ante sanguinis effusionem carnis et sanguinis pertulit mortificationem. occultum prius sustinere uoluit martyrium, quo paratior ac fortior inueniretur ad manifestum.

O felices beatae Felicitatis gradus! felix in coniugio, felicior in uiduitatis proposito, felicissima in martyrii triumpho: beata per carnalem filiorum generationem, beatior per spiritualem eorundem regenerationem, beatissima per uictoriosam ipsorum consummationem. pro tantae beatitudinis expectatione accincta est fortitudine et roborauit brachium suum. et in hoc ordo praecipuus, legali dudum et euangelica auctoritate sancitus. in lege quidem de hoc ordine scriptum est: *renes uestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus:* in euangelio autem: *sint lumbi uestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus uestris.* ibi quippe renes prius per continentiam accingere et ita demum pedes, id est operum uestigia calceamentis, patrum scilicet antiquorum exemplis munire praecipimur; hic quoque id ipsum licet aliis uerbis recapitulatur, ubi lumbos castitate praecingere et sic lucernas ardentes bonorum operum tenere iubemur. ubique igitur beata Felicitas ordinato uirtutum tramite incessit, singulos beatitudinis gradus legitime conscendit. fortitudinis cingulo prius illum edomuit, cuius uirtus in lumbis eius et fortitudo in umbilico uentris eius, sicque peracto bello intestino, ad agenda etiam forinsecus uirtutum opera brachium roborauit.

9. I. Cor. 9, 25. — 24. Ex. 12, 11. — 25. Luc. 12, 35.

CAPITVLVM VIIII.

Laus a gustu dulcedinis internae.

Gustauit, et uidit, quia bona est negotiatio eius; non extinguetur in nocte lucerna eius. fortissimae mulieris huius negotiatio et multiplex et bona est. negotiatio eius in abundantia spoliorum, quibus non indigebit, in acquisitione uel operatione lanae ac lini, in eo quod facta est quasi nauis institoris, in coemptione agri et plantatione uineae, in sindone, quem uendidit, et cingulo, quod Chananaeo tradidit, in diuitiis, quibus supergressa dicitur filias, et in aliis huiusmodi, quae diligens lectionis huius perscrutator morosa inquisitione subtilius assequetur. in his enim omnibus gustauit et uidit, quia bona est negotiatio eius, quoniam palatum sanum habuit, quo gustare posset hoc. non autem omnibus contingit habere hoc, alioquin non quasi ad rem arduam et quibusdam inaccessibilem psalmista nos exhortaretur dicens: *gustate, et uidete, quoniam suauis est Dominus.* quid enim aliud etiam fortis haec mulier gustauit, nisi quod *suauis est Dominus? gustauit,* inquit, *et uidit, quia bona est negotiatio eius:* quid suauitatis in ipsa negotiatione gustauit, nisi ipsum, qui suauitas est suauitatum? ipse negotiationis causa et suauitas et finis. sicut enim finis legis Christus ad iustitiam omni credenti, ita idem ipse finis operationis ad beatitudinem et suauitatem omni benefacienti. fugiunt homines laborem quasi amarum, non habentes palatum, quo suauem in labore degustent Dominum, sine quo labor uere sentitur amarus. etenim nisi Dominus dederit suauitatem, terra nostra non dabit fructum suum. qui uero aliam praeter Dominum in labore causam habuerint, lucri scilicet temporalis uel humanae laudis, optatam quidem suae delectationis suauitatem interim praegustant, pro qua ineuitabilem postmodum uindictae amaritudinem sentient.

Gustauit ergo beata Felicitas et uidit, id est gustatae suauitatis experimento uere didicit, *quia bona est negotiatio eius.* et haec ei merces pro negotiatione bona, quod non extinguetur in nocte lucerna eius. in supra dicta nocte tribulationis non est extincta lucerna eius, illa uidelicet, cuius ducatu sese dirigi

16. Ps. 33, 9.

propheta gloriatur dicens: *lucerna pedibus meis uerbum tuum, et lumen semitis meis.* haec enim in eorum cordibus extinguitur, qui in miseriis non subsistunt, sed uicti temptationibus a luce ueritatis recedunt. media etiam nocte adueniente sponso, cum fatuarum uirginum lampades deficiente oleo extinguentur, huius sanctae martyris lucerna indeficientibus radiis permanebit. interim uero in huius mortalitatis tenebris sanctae conuersationis eius lampas nostris resplendeat cordibus, quam idcirco accensam non in abscondito sed super candelabrum Dominus ponere dignatus est, ut qui ingrediuntur lumen uideant.

CAPITVLVM X.

Laus a fortitudine.

Manum suam misit ad fortia, et digiti eius apprehenderunt fusum. ad quae fortia misit manum suam mulier fortis? memoriam mirabilium suorum fecit per eam misericors et miserator Dominus, uirtutem operum suorum annuntiauit ei. quorum operum? quae sub priore testamento in plebe sua operatus est. Antiocho rege, tyrannidem exercente in populum Dei, ut a patriis legibus ad gentilitatis ritum transferri cogeretur, inter cetera, quae hac tempestate a propugnatoribus iustitiae fortiter gesta sunt, etiam hoc legitur: quia contigit, septem fratres una cum matre apprehensos compelli a rege contingere contra fas carnes porcinas, et flagris et taureis cruciari. qui acquiescere contemnentes, nouis et exquisitis tormentorum generibus consummati sunt. de quorum matre subiungitur: supra modum autem mater mirabilis et bonorum memoria digna, quae pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens bono animo ferebat propter spem, quam habebat in Domino. singulos eorum hortabatur patria uoce, repleta sapientia, et femineae cogitationi uirilem animum inserens, et cetera. haec sunt mirabilia, quorum memoriam per beatam Felicitatem celebrari Deus uoluit. hanc uirtutem operum suorum annuntiauit ei, ut daret etiam ipsi hereditatem et diuideret ei partem in tribubus duodecim. haec sunt fortia antiquorum exempla, ad quae misit manum suam, quae scilicet imitari elegit. sed in quo haec tam

2. Ps. 118, 105. — 16. Conf. Ps. 110, 4 sq. — 30. Conf. II. Mach. 7.

fortia ut fortis mulieris huius animum ad imitationis desiderium specialiter prae ceteris fortium gestis excitauerint, praesertim cum post passionem Domini et sub ipsis etiam sanctae Felicitatis temporibus innumeros et grauissimos agones beati martyres desudauerint, quorum exempla piae auiditati eius sufficere potuerint? duplex ratio est, cur magis antiquiora illa quam recentiora aliqua eam incitauerint exempla: et prior quidem haec est, quia nondum erecto dominicae passionis uexillo nec manifestata resurrectionis gloria, tantus tamen antiquam matrem illam cum filiis uictoriosae mortis ardor accenderat, ut nil tam crudele tortor insanus adinuenire potuisset, quod prompta eorum deuotio subire trepidaret. sanctos enim martyres talia postmodum sustinuisse non adeo mirandum erat, quos primogenitus ille mortuorum eadem uia praecedens ad mortem moriendo, ad spem uitae resurgendo animauerat. altera uero, quam proposui, ratio talis est: beata Felicitas suam pro Christo animam ponere promptissima erat, sed piam matrem etiam filiorum cura tangebat, non quae a martyrii appetitu animum eius retardaret, immo ad maius aliquid incitaret. audierat de illa septem Machabaeorum matre, qualiter ad passionis tolerantiam singulos confortauerit, quam laeto uultu morientes ad Deum praemiserit, et ne unum quidem ex eis mundo superesse uoluerit. uidebat etiam se eiusdem numeri filios naturaliter genuisse et ad generationis gratiam perduxisse, optabatque illius triumphi similitudinem in se ac filiis innouari, ut pariter cum ipsis ad martyrii gloriam pertingeret. sic ergo *manum suam misit ad fortia*, quia longe fortius erat tot filiorum mortes secum offerre, quam suam semel tantum in mortem animam tradere.

Quod uero sequitur: *et digiti eius apprehenderunt fusum*, quendam aeque fortitudinis modum insinuat, quia non quomodocumque accepisse uel tenuisse sed apprehendisse dicitur. in colo lana inuoluta est, quae filo ducenda et nenda transeat in fusum. quod colo inuolutum est, futurum est, quod fuso collectum est, iam praeteritum est. opus ergo nostrum in fuso est non in colo. in colo enim est quod facturi sumus, in fuso quod fecimus. quid faciamus cras nescimus, quid fecerimus heri scimus. De futuro opere timemus, de praeterito, si bona est conscientia, gaudemus. ille igitur apprehendit fusum, id est firmam habet in

Deo fiduciam de uita praeterita, quem non arguit accusatrix conscientia, quemadmodum fortis ille athleta apprehenderat, qui dicebat: *nec enim reprehendit me cor meum in omni uita mea.* et quomodo putamus sanctam martyrem istam fusum apprehendisse, id est operum praeteritorum coram Deo confidentiam habuisse? ex digitis autem, quibus apprehendisse dicitur fusum, etiam alius nostrae infirmitati necessarius aperitur sensus. digiti namque discretionis uirtutem insinuant, ea nimirum ratione, quia nulla corporis nostri membra pluribus sunt articulis distincta et flexibus apta quam digiti. itaque digitis fusum apprehendere est forti discretionis intentione singula, quae egimus, discutere, quo animo, quo fine gesta sint, sollicite retractare, ne uitia uirtutum specie palliata fefellerint, ne bona ipsa intemperata uel imperfecta fuerint. consequens uero remedium erit, ut quicquid impurum deprehenderimus, beatae Felicitatis exemplo per misericordiae hostias expiemus.

CAPITVLVM XI.

Laus ab operibus misericordiae.

Ipsa enim a patre misericordiarum inter cetera uirtutum exercitia etiam misericordiae studium didicerat, ut inter beatos misericordes misericordiam consequi mereretur. unde subditur: *manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.* cum praemissum sit, quia manum suam ad fortia miserit, quam consequenter subiungitur, quod eandem etiam inopi aperuerit et ad pauperem extenderit! uera est enim fortitudo, quae pietatis adornatur officio, et tunc solum ualida, cum misericordiae recte fuerit subiecta. potest differenter intelligi, quod manum aperuisse inopi et palmas extendisse dicitur ad pauperem, ut praesentibus quidem per se manum aperuerit, absentibus autem longiusque remotis per ministros eandem largitatis suae gratiam quasi extensis palmis impendere curauerit. si enim de regia potestate longe lateque uigente dicitur: *an nescis longas regibus esse manus?* cur non etiam sancti ad dispergenda usquequaque pietatis opera extensas uel longas habere palmas dicantur? alia etiam huius litterae differentia ex uerbis alterius translationis

3. Job 27, 6. — 33. Ouid. Her. 17, 166.

nobis innuitur, ubi sic legitur: manus suas aperuit pauperi, fructum autem porrexit inopi. est quidam pauper manus nostras quaerens, pro necessitate uidelicet paupertatis suae sperans, se aliquid accepturum a nobis. est autem et alius inops qui dicit: *tamquam nihil habentes, et omnia possidentes.* non quasi necessitati suae satisfieri uult debito nostro, sed tamen in arbore dominica, quam plantauit et rigauit, fructum quaerit. sic enim idem inops ait, cum de talibus loqueretur: *non quia quaero datum, sed requiro fructum.* utrisque sancta Felicitas satisfecit, in qua et pauper datum, et inops inuenit fructum.

CAPITVLVM XII.

Laus a prouidentia domesticorum.

Non timebit domui suae a frigoribus niuis: omnes enim domestici eius uestiti duplicibus. cum per abundantiam iniquitatis refrigescit caritas, perniciosum nimis est frigus. huius frigoris tanta uehementia tempore dominicae passionis inhorruerat, ut cum plerosque uis algoris penitus extingueret, ipsa etiam apostolorum praecordia non leuiter perstringeret. quo frigore ad horam torpens Petrus quasi prunis ministrorum calefieri cupiebat, quia temporalis commodi solatium perfidorum societate quaerebat; sed hanc infidelitatis niuem Domino respiciente euasit. abhinc ergo consurgentibus per ordinem Romani regni principibus, quasi uentis hiemalibus, usque ad Antoninum, sub quo beata Felicitas passa est, implacabili semper asperitate niuis frigora grassabantur, a quibus tamen fidelium corda austro, id est spiritu ueritatis, aspirante defendebantur. unde nec ista sancta martyr domui suae, id est filiis ceterisque, qui sub ea et per eam Domino crediderant, a frigoribus niuis timuit. nec praetereundum, quod non simpliciter frigora sed niuis frigora dicuntur. nix autem non solum frigida sed etiam alba est, et desuper uenit. sic et reprobi, licet frigidi et alieni sint a feruore caritatis, nonnumquam tamen quendam superficie tenus uirtutum candorem, quasi de caelestibus uenientem, in sese ostentant. quam eorum fictam imaginem ipse conscientiae testis et iudex manifestat et damnat dicens: *uae uobis, hypocritae, qui similes*

5. II. Cor. 6, 10. — 9. Phil. 4, 17.

DAVID.
Salomon.
S. FELICITAS.
acceptabis sacrificiu iusticie
Reddet ei bonum.
S. GREGORIS.
Ihc filius Syrach.
filios
ut mortuos
plangeret rusticob tulisset
Da altissimo scdm data ei?

estis sepulchris dealbatis, quae a foris parent hominibus speciosa, intus uero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia.

Sic et uos a foris quidem paretis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. causa uero subditur, unde sit quod domui suae a frigoribus non timuit: *omnes enim domestici eius uestiti duplicibus.* non sola forma uirtutum extrinsecus palliati erant, sed duplicem uestem: unam operis alteram mentis, unam actiuae alteram contemplatiuae uitae habebant. alia translatio non tantum domesticos sed uirum ipsum specialiter ab ea uestitum testatur, duplicia, inquiens pallia fecit uiro suo. duplicia Christo fecit pallia, diuinitatem eius simul et humanitatem confitendo et hanc quibuscumque poterat fidem insinuando. contextum est primo pretiosissimum illud pallium laudis: *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. hoc erat in principio apud Deum.* contextum est et aliud propter conuersationem inter homines: *et Verbum caro factum est, et habitauit in nobis.* licet autem longe ante tempora huius sanctae martyris fide ac studio matris ecclesiae pallia ista fuerint contexta, nihilominus tamen ipsa ut fidelis filia uirum suum his, quae a matre susceperat, induisse dicitur: corde uidelicet credendo ad iustitiam, ore autem confitendo ad salutem, et ad eiusdem fidei unitatem salutaribus consiliis alios perducendo. felices illi, quibus tunc fortis haec mulier in his omnibus prouide consulebat, quorum tam fidem quam conuersationem pia magisterii auctoritate regebat. felices et uos fratres, eiusdem beatae martyris domestici, quibus ipsa nunc inuisibiliter praesidens et creditae sibi domus curam agens, si quam in aliquo uestrum frigoris praedicti auram senserit, mox uiro suo summo patri familias pro salute uestra supplicat et duplicem uobis caritatis amictum impetrat; quo quisquis caruerit, etsi domestici nomine ad tempus gloriari uideatur, introeunte tamen rege in tenebras exteriores eicietur. ...

2. Mat. 23, 27. — 15. Io. 1, 1. — 17. Io. 1, 14.

CAPITVLVM XIII.

Laus ab ornatu spiritualium indumentorum.

Stragulatam uestem fecit sibi: byssus et purpura indumentum eius. o quanta beatae huius matronae opulentia, quanta dispensationis eius prudentia! uirum duplicibus uestit, domesticis a frigore non timet, quos aeque duplicibus communiuit, semet ipsam uero multipliciter exornauit. stragulatam uestem sibi fecit, byssum et purpuram induit. sunt et alia eius indumenta, de quibus paulo post dicetur. merito igitur tali circumamicta uarietate uiro suo complacet et oculos maiestatis eius demulcet. inter has uero matris et martyris istius delicias si mater illa generis nostri ad memoriam redeat, exilii nostri gemitus innouat, potum nobis lacrimarum subministrat. illa enim immortalitatis uelamine nudata ad latebras confugit, consuens folia ficus perizomata fecit; deinde cum pro reatu de paradiso uoluptatis pelleretur, tunicam pelliciam accepit. o miseranda indumentorum commutatio! aliter te, o martyr felicissima Felicitas, induisti, alia nobis uestimentorum tuorum exempla reliquisti. originalem igitur hunc luctum, quem mater intulit omnium uiuentium, consolare tu, o ueneranda mater septem filiorum! illius perfidia uirum incorruptionis stola exuit, fides tua duplici pallio uirum ornauit: illa de foliis facillime dissoluendis tegimentum sibi consuit, tu stragulatam uestem tibi fecisti. stragulata enim uestis est, quae uariante textura solet firmissima confici, fortitudinis tuae opera et diuersa uirtutum significans ornamenta. mater illa ad mortalitatis indicium pellicia induitur tunica, tu castitatis ac purae conuersationis candidissima uteris bysso: illa regiam paradisi aulam, quam sine labore adepta fuerat, desidiose perdidit, tu ad caeli palatium sanguine purpurata regrederis. sicut illa non se tantum sed et omnem deiecit suam posteritatem, sic tu ad sanctorum martyrum societatem non sola conscendisti, immo septenariam filiorum subolem pariter prouexisti.

CAPITVLVM XIIII.

Laus a dignitate uiri.

Nobilis in portis uir eius, quando sederit cum senatoribus terrae. uirum electae huius sponsae uel cuiusque fidelis animae Dominum ac redemptorem nostrum iam dudum intelleximus. cuius nobilitas uel dignitas recte his praeconiis commendanda inseritur, ut quod mulier fortis tantopere laudatur, ipsius misericordiae asscribatur, et dum uarios gratiarum riuulos admiramur, ad ipsum fontem iucundius reuertamur. est et alia commemorandae dignitatis eius causa, uidelicet ut ex magnitudinis ipsius consideratione quanta sit eius sponsa, quae hactenus commendata est, melius perpendatur. nobilem quippe uirum nobilis condecet matrona, quantoque uiri dignitas excellentior, tanto mulieris gloria manifestior. huius autem uiri nobilitatem quis enarrabit? *quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? magnus* ipse *et laudabilis nimis*, magna et inaestimabilia, quae operatur in sanctis suis, et quae praeparauit dilectoribus suis. idem ipse magnus et immensus, minoratus paulominus ab angelis, ad ostendendum humilitatis exemplum adeo ignobilis apparuit, ut et Pilatus ei diceret: *nescis, quia potestatem habeo, crucifigere te, et potestatem habeo, dimittere te?* sed qui sub ipsa ignobilitatis forma dixerat: *regnum meum non est de hoc mundo*, ipse *homo nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum, et reuerti.* in ipsa ergo reuersione, id est iudicii manifestatione, accepto iam regno nobilis apparebit in portis, id est in introuitu supernae illius ciuitatis, ubi reuelabitur potestas iudicantis, quae occulta erat, dum iudicaretur ante tribunal praesidis. pro nobili uero alia translatio conspicuum posuit, hoc nimirum insinuando, quia uidebunt infelices, in quem transfixerunt, uidebunt feliciter mundicordes, quibus dictum est: *leuate capita uestra, quoniam appropinquat redemptio uestra. quando sederit,* inquit, *cum senatoribus terrae,* apostolis uidelicet aliisque praefectis, quibus hunc iudicandi consessum repromisit dicens: *sedebitis et uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim*

16. Ps. 105, 2. — 16. Ps. 47, 2. — 21. Io. 19, 10. — 23. Io. 18, 36. — 24. Luc. 19, 12. — 31. Luc. 21, 28.

tribus Israel. profecto et senatricem hanc beatam Felicitatem cum senatoribus filiis suis ipse uir eius exhibebit, ut mentis debilitatem nullus uirorum excusare possit, quando haec ostenditur, quae cum saeculo et sexum uicit. in illis portis uera etiam ipsius nobilitas conspicua erit, quae licet despiceretur in praesenti, non tamen confundebatur, cum loqueretur inimicis suis in porta, id est in publico uiri sui gloriam annuntians.

CAPITVLVM XV.

Laus ab opere manuum.

Sindonem fecit et uendidit, et cingulum tradidit Chananaeo. praemissa breuiter futuri iudicii prophetia, subiunguntur denuo saepe iam dictae mulieris fortis praeclara opera, quorum merito cum praedictis senatoribus ad iudicandum ueniat. tria uero hic pariter commendantur: opus manuum, quia sindonem fecit; utile negotium, quia uendidit; liberalitas, quia cingulum Chananaeo tradidit. in linteo sindonis, quod subtile et lene est, nec asperitate aliqua uel grossitudine etiam delicati cuiuslibet corpusculum offendit, grata et opportuna requies intelligitur, qua apud beatam Felicitatem paruuli in fide fouebantur, qui et consilii eius uel exhortationis solatio et temporalium commodorum indigebant subsidio. hoc enim persecutionis tempore necessarium erat, ut infirmiores uel pauperiores quique apud eos, qui facultatibus seu dignitatibus mundi praeminebant, latebras inuenirent, ubi uelut a meridiano declinantes aestu optatae quietis refrigerium haberent. tales beata martyr materna caritate suscipiens, tam doctrinae uberibus quam necessariis rebus sustentare gaudebat quam requiem cum omnibus a se exigentibus gratis impenderet, quomodo uendebat, nisi quia non datum sed fructum quaerebat, ut diceret cum apostolo: non enim quaero uestra sed uos ipsos?

Ipsorum fidem et salutem, immo ipsum in eis Christum quaerebat, quem et suscipiebat; et illis uisibiliter apud eam quiescentibus, ipse inuisibiliter in eius corde tamquam in subtilissimo sindonis linteo gratam sibi mansionem habebat. quod et in ipsa eius sepultura praesignatum est, cuius sacrosanctum corpus depositum Joseph inuoluit sindone. munda quippe sindone

1. Mat. 19, 28. — 29. Conf. II. Cor. 12, 14.

Jesum inuoluit, qui pura eum mente suscipit, ut habeat filius hominis ubi caput reclinet, et iustitiae habitatione quiescat. ad cuius mysterii gratiam fidelibus semper innouandam mos ecclesiae inoleuit, ut sacrificium altaris non serico uel panno tincto sed puro lino celebretur. qui enim mundo mortuos pauperes Christi sincera mentis deuotione suscipit et refouet, quasi exanime corpus eius sindone munda inuoluit. sequitur: *et cingulum tradidit Chananaeo.* nomine Chanaan, qui et gentilium populum procreauit et interpretatur commutatus, felix illa gentilitatis commutatio intelligitur, qua de tenebris ad lucem, de infidelitate conuertitur ad fidem. quali cingulo semetipsam fortis haec mulier cinxerit, supra dictum est; nunc autem de cingulo, quod etiam aliis dederit, adiungitur. utriusque uero cinguli quae sit ratio, in gestis eius manifestius ostenditur. de ipsius enim cingulo ita praemittitur: in uiduitate permanens Deo suam uouerat castitatem; de hoc uero, quod Chananaeo tradidit, statim subditur: et magnam de se aedificationem castis mentibus dabat. dum ergo fidelibus a gentili errore conuersis castitatis exemplum praebuit, insigne profecto cingulum Chananaeo tradidit. potest etiam per cingulum mentis custodia intelligi, quam auditoribus suis sollicite obseruandam insinuabat, ne uidelicet ipsa corporis castitas remissa esset, ac uento elationis disiecta cursum boni operis impediret, sicque ad ultimum sordibus concupiscentiae polluta uilesceret.

CAPITVLVM XVI.

Laus a uestitu.

Fortitudo et decor indumentum eius: et ridebit in die nouissimo. de triplici uestitu fortissimae huius mulieris paulo ante iam diximus, et ecce rursus duplicem prae manibus habemus. superius enim uestis stragulata, byssus et purpura, hic fortitudo et decor commemorantur. his quinque uestium consideratis speciebus occurrit animo memorabilis illa liberalitas, qua Beniaminus prae ceteris fratribus a Joseph honoratus est, quinque scilicet stolis optimis uestitus. in qua figura beati Pauli praerogatiua designatur, qua prae ceteris coapostolis, quorum se minimum asserit, a uero Joseph insignitus est. quinque etenim

34. Conf. Gen. 45, 22. — 36. Conf. I. Cor. 15, 9.

stolas doctrinae uel disciplinae sese accepisse insinuat, dum quinque uerbis plena uidelicet pentateuchi intelligentia loqui se uelle in ecclesia gloriatur. liquet ergo quod et in beata Felicitate ueri Joseph redundat munificentia, quae tam quinque stolis optimis quam reliquis charismatum exuberat donis. duplex autem hoc indumentum, fortitudo scilicet et decor, duplici ex causa fuit ei necessarium. regi caelesti desponsata erat, ad cuius castos amplexus peruenire omnimodo satagebat. multiplici ergo uirtutum decore opus habebat, sine quo rex in decore suo, *in quem desiderant angeli prospicere*, nullatenus uidebitur. rex autem terrenus, supra dictus scilicet Antoninus, idolatriae omniumque uitiorum sordibus inuolutus, ideoque uirtutum auctori contrarius, ab illius fide ac sinceritate blandiendo uel terrendo separare illam contendebat. quanta igitur opponenda erat fortitudo, quae regiam potestatem, pontificum accusationem, iudicum seueritatem, totius mundi uoluptatem, filiorum affectum naturalem, ipsam denique uitam et mortem contemneret ac superaret, ac de his omnibus moriendo triumpharet?

Vnde non utcumque fortitudine hac et decore utebatur, sed uelut indumento quodam ita ex omni parte amicta et circumdata erat, ut nec speciosum illum forma prae filiis hominum ex ulla decoris negligentia offenderet, nec regi terreno uel ad momentum ex aliquo fortitudinis defectu cederet. sciebat enim duobus dominis neminem seruire posse, sed aut unum odio habendum et alterum diligendum, aut unum sustinendum et alterum contemnendum. quocontra his, qui diploidem fortitudinis et decoris discindere et ab inuicem separare nituntur, per prophetam Dominus exprobrat dicens: *coangustatum est stratum, ita ut alter decidat; et pallium breue utrumque operire non potest.* sunt enim qui decore fidei et quarundam uirtutum ita uelari uelint, ut tamen fortitudinem non induant, id est aduersario non penitus repugnent, sed in quibusdam eneruiter consentiant et succumbant. hos ergo redarguens Dominus metaphora utitur mariti pudicissimi, qui adulterae dicat uxori: *coangustatum est stratum*, id est unus lectulus me et adulterum tecum capere non potest, sed unum e nobis decidere oportet, et pallium breue

10. I. Petr. 1, 12. — 21. Conf. Ps. 44, 3. — 26. Conf. Mat. 6, 24. — 29. Js. 28, 20.

maritum et moechum operire non praeualet. igitur o anima fidelis, quae sponsa mea diceris, si meis complexibus uis copulari, abice adulterum, si habere cupis decorem, indue simul fortitudinem. non enim mihi per decorem fidei placere poteris, nisi etiam ei, qui ex aduerso est, per fortitudinem restiteris, eo quod per illius amicitiam foederis mei pactum uiolaueris. uerum quia non sine graui certamine praesentis uitae tam pretiosum hoc fortitudinis et decoris indumentum texitur et obtinetur, recte subsequentis laetitia retributionis adiungitur, cum dicitur: *et ridebit in die nouissimo.* sicut scriptum est: quia *inclinauit caelos, et descendit,* diuinorum eloquiorum altitudo caelestis pro capacitate humanae infirmitatis quodammodo submittitur, ut sensus nostri tarditas ad illius sublimitatem paulatim erigatur. quia enim risus temporalis gaudii est indicium, ad insinuandam aeternae illius iucunditatis dulcedinem typice ponitur, cum tamen iubilum illud laudationis diuinae risu nequaquam intermisceri soleat, sed quodam reuerentiae modo nobis incognito summae autem maiestati decentissimo fiat. ridebit ergo mater ista cum filiis, immo cum angelis et omnibus sanctis, cum plene resonare coeperit in tabernaculis iustorum uox exultationis et salutis.

CAPITVLVM XVII.

Laus a doctrina.

Os suum aperuit sapientiae. Famosam quandam mulierem euangelica praedicat lectio, quae loquente Jesu ad turbas extollens uocem de medio turbarum populare murmur compescuit, et ad eius laudem uel auditorum aedificationem os suum aperuit. ecce hic mulier ipsa, immo maior muliere illa, Felicitas mulier fortissima. illius tantummodo uocem euangelista commemorat, huius gloriosam conuersationem et uictoriosam passionem tota per orbem terrarum ecclesia conclamat. haec enim multo clariori uoce obstrepentium turbas cogitationum interrumpens, *os suum,* os cordis, *aperuit sapientiae.* quid illa dixerat? *beatus uenter, qui te portauit, et ubera, quae suxisti.* dignissime igitur mater felix Felicitas intemeratae matris et uirginis Mariae uentrem et ubera speciali praeconio attollit, cui praestante uentris eiusdem fructu

11. II. Reg. 22, 10. — 25. Conf. Luc. 11, 27.

Christo Jesu tanta uentris et uberum beatitudo prouenit, ut septem heriles regni caelestis proceres gignere ac enutrire meruerit. bene autem laudat uel spiritualis doctrinae laudem proximis enuntiat, quia laus, quae in ore peccatoris speciosa non est, in sancto illius ore speciosissima erat. pie quippe credendum, intimam hanc Dei amicam os suum sapientiae aperientem uae illud euasisse, quod Isaias quondam planxerat dicens: *uae mihi, quia tacui, quia uir pollutus labiis ego sum.* nam etsi in medio populi polluta labia habentis sancta haec corporaliter habitauerit, longe tamen ab eorum pollutione tam uerbo quam opere segregata fuit. nec ab re est, quod nunc primum circa finem uidelicet praeconii doctrina eius commendatur, cum in superioribus inter tot uirtutum insignia nil huiusmodi manifeste dictum inueniatur. prius enim praedam diripuisse, operi manuum institisse, inopi manum aperuisse, ceterisque talibus operam dedisse, et sic tandem os aperuisse memoratur. regula haec caelestis est magisterii, ab ipso Domino et saluatore fidelibus demonstrata, sicut scriptum est: *quae coepit Jesus facere et docere.* et notandum, quod non simpliciter ad docendum sed sapientiae os suum aperuisse dicitur. ipsa est enim oris adapertio, de qua et propheta gloriatur dicens: *os meum aperui, et attraxi spiritum.* non enim spiritum sapientiae attraheret, nisi os aperiret, quia nisi praedicando proximos aedificare studeret, spiritualis doctrinae gratia non creuisset. nil igitur beata martyr forinsecus annuntiabat, nisi quod intrinsecus ab ipso fonte sapientiae hauserat, ipsaque cordis uena, quae per oris ministerium emanabat, gratiae augmento magis magisque semper accrescebat.

CAPITVLVM XVIII.

Laus a clementia.

Et lex clementiae in lingua eius. Duas legimus mulieres iusta seueritate concitatum Dauid regis animum sapientiae argumentis ad clementiam inflexisse. prima Abigail iam iamque euaginatum illius gladium opposita linguae suae machaera, quam Dei sapientia exacuerat et limauerat, a ceruice Nabal repulit, tantumque ei pro experta prudentiae uirtute complacuit, ut

8. Js. 6, 5. — 18. Act. 1, 1. — 21. Ps. 118, 131.

mortuo Nabal uxorem eam duxerit. secunda mulier Thecuitis, in hoc ipsum a Joab aduocata, Absalon ob interfectionem fratris a facie patris eiectum reuocari persuasit, licet hoc neque ipsi patri neque filio prospere cesserit. sapientes utraeque mulieres istae legem asstruebant clementiae, longe tamen impares Felicitati beatissimae. illae doctis prudentiae assertionibus terreni regis iram mitigauerunt, haec non tantum linguae officio sed et utriusque hominis famulatu deuotissimo eum, quem supernae tremunt potestates, deplacauit. Nabal caelitus percussus interiit, cui Dauid pro uxoris interuentu pepercerat; Absalon suspendio periit, cui Thecuitis patris gratiam obtinuerat. uiuunt autem, et feliciter cum beata Felicitate uiuunt, quicumque per illam ad aeterni regis indulgentiam peruenire meruerunt.

Haec enim tam efficaciter os suum sapientiae aperuit legemque clementiae in lingua tenuit, ut merito Abigail dicatur, quod sonat patris mei exultatio, et Thecuitis, quod interpretatur tuba canens. exultauit in operibus eius pater caelestis, delectabatur in apertione oris eius uelut suauissimo sono tubae canentis. ut enim in contuitu pulchritudinis eius exultare se indicet, dicit in cantico canticorum: *ostende mihi faciem tuam;* ut in auditu canorae uocis delectationem se habere ostendat, subicit: *sonet uox tua in auribus meis.* utriusque autem et faciei scilicet et uocis qualitatem certa diffinitione determinat dicens: *uox enim tua dulcis, et facies tua decora.* nequaquam uero Abigail nostra oculis altissimi sic placere potuisset, nisi prius Nabal, qui interpretatur insipiens, ab ipso percussus occubuisset. sapientia igitur, cui os aperire solebat, omnem de corde eius insipientiam effugauerat, erroremque uelut priorem maritum funditus extinxerat. huic enim omnes illicito matrimonio subiacemus, donec ad agnitionem et gratiam ueri Dauid perueniamus. porro lex clementiae, quae in lingua beatae Felicitatis fuisse dicitur, certum iustitiae eius perhibet testimonium, quia uera iustitia compassionem, quae et clementia est, habet sicut e contrario falsa iustitia dedignationem. hunc locum, ubi nostri codices legem clementiae commemorant, alia translatio sic habet: et ordinem posuit linguae suae. o quanta uirtus, non tantum silentii disciplinam qualemcumque, immo et ordinem linguae posuisse, quem transgredi

1. Conf. I. Reg. 25. — 3. Conf. II. Reg. 14. — 24. Cant. 2, 14.

non audeat, ut scilicet tacendi et loquendi tempus custodiat, quid cui uel quantum loquatur, uelut in statera perpendat. bene igitur in omnibus sese adaptat et praeparat martyrio, quae linguae ordinem ponens cottidiano illam erudit exercitio, dignam exhibens reddendo tandem in passione ueritatis testimonio.

CAPITVLVM XVIIII.

Laus a disciplina.

Considerauit semitas domus suae, et panem otiosa non comedit. supra dictum est, quia non timuerit domui suae a frigoribus niuis, nunc uero ut a securitate, quae mater est negligentiae, penitus excusetur, considerandis eiusdem domus semitis sollicitudinem adhibuisse perhibetur. non enim sufficiebat a frigore infidelitatis demesticos custodire, nisi etiam cottidiana obseruaret diligentia, quae esset eis morum disciplina, quae actuum industria, quanta a malis cautela, quam indefessa in bonis perseuerantia. hae sunt quippe domesticorum semitae tam forti matronae sedulo considerandae, maxime propter tot filios ad martyrii tolerantiam paulatim imbuendos. his ergo aliisque proximorum utilitatibus occupata *panem otiosa non comedit,* tam exemplo quam uerbo apostolicum illud confirmans, ut qui non operatur, nec manducet. oportebat enim huius sanctissimae uiduae singularem religionem omnibus deinceps uiduis uelut speculum quoddam praeponi, ut eius intuitu triplex illud malum, quod apostolus in quibusdam earum denotat, otiositas uerbositas et curiositas deprehensum possit euitari. unde satis patet, quantum interiori domui cordis studium adhibuerit, quam subtili indagatione omnes illius semitas, id est uarios cogitationum motus, considerauerit.

Haec domus firmissimum habuit fidei fundamentum spei altitudinem, caritatis latitudinem; quattuor quoque angularibus columnis prudentia temperantia fortitudine iustitia immobiliter fulciebatur. mulierem quandam garrulam uagam et quietis impatientem in hoc ipso prouerbiorum libro, cuius ultimam partem prae manibus habemus, Salomon commemorat, quae de cubiculi sui ornatu falso gloriatur dicens: *aspersi cubile meum myrrha,*

21. Conf. Thess. 3, 10. — 24. Conf. I. Tim. 5, 13.

et aloe et cinnamomo. quod ergo illa inaniter iactitat, hoc procul dubio fortis et stabilis ista et quietis patientissima mulier in ueritate adimpleuit, bono Christi odore ac multimodis uirtutum pigmentis uenustum cordis sui cubile consecrans. illa ad maiorem perpetrandae uoluptatis libertatem uiri abutitur absentia dicens: *non est uir in domo sua, abiit uia longissima.* de ista in superioribus praeconii huius partibus iuxta translationem aliam dicitur: non est sollicitus de his, quae in domo sunt, uir eius, cum alicubi demoratur. non est enim Christus corporaliter in ecclesia, qui post resurrectionem ascendens in caelum illic demoratur; nec tamen sollicitus est de his, quae in domo fortissimae huius mulieris sunt, quia, ut supra dictum est, confidit in ea cor ipsius. nam cum caelum et terram impleat, huic etiam domui per diuinitatis praesentiam ac uisitationis suae gratiam semper affuit. ideoque sicut illius detestandae mulieris domus ad mortem inclinata est, et ad inferos semitae ipsius, sic huius beatissimae domus ad uitam erecta, et ad caelum semitae eius. unde recte dicitur, quia *panem otiosa non comedit,* panem scilicet illum, qui de caelo descendit; sed caelestibus intenta meditationibus et diuinis occupata laboribus dignam se perceptioni eius exhibere studuit.

CAPITVLVM XX.

Laus a filiis.

Surrexerunt filii eius, et beatissimam praedicauerunt: uir eius et laudabit eam. Ecce terra bona, terra uberrima, cui benedixit Dominus. ecce qualiter a fructuum incremento commendatur, quam non tantum agricola qui excoluit, sed et ipse quem protulit fructus laudat. *filii,* inquit, *eius beatissimam praedicauerunt.* agricola etiam huius terrae, qui et uir mulieris beatissimae, laudabit eam. ubi nunc serpens inuide uictoria tua? ubi gloriatio tua de muliere seducta? ecce originale feminei sexus maledictum: *in dolore paries filios,* superabundante filiorum laude absorbetur. in paradiso per matris radicem etiam filiorum propaginem corrupisti, ecce hic deiectus contabescis, praedicantibus filiis tantam beatitudinem matris. *surrexerunt filii eius.* prius, inquit, surrexe-

1. Prou. 7, 17. — 6. Prou. 7, 19. — 32. Gen. 3, 16.

runt, et sic matrem beatissimam praedicauerunt. oportet quidem gratiam referre parentibus, quorum labore, quorum cura, quorum ministerio nascimur et nutrimur: non tamen opinandum, filios istos de naturali generatione uel corporalibus nutrimentis matrem suam tantopere praedicare, immo de surgendi exemplo pariter et consilio, quod ab ea percepere. surrexerunt enim a deiectione originalium et actualium peccatorum surrectione animae, quae est resurrectio prima; ideoque resurrectionis huius adiutricem matrem beatam praedicauerunt.

Exinde crescente gradatim uirtutum profectu ad hoc usque consurgentes, ut martyrii agonem cum ipsa pariter expeterent, maiorem denuo eius beatitudinem collaudauerunt. audeam percontari, o felices beatae Felicitatis filii, dum ad perfectionis arcem Deo erigente consurgitis, quid praeconii sanctae matri asscribitis, in quo beatitudinem eius praedicatis? uberibus, inquiunt, sanctae doctrinae nos lactans et enutriens ad uirile robur perduxit totiusque disciplinae magisterio informauit. denique in confessionis articulo ne deficeremus, nobis affuit seque priorem iudici in responsione et attestatione ueritatis opposuit. ille per eam maxime, cuius consilio hactenus uixeramus, ad peruersitatis suae consensum reflecti nos posse existimans, dixit ei: miserere filiis tuis iuuenibus bonis et flore primae iuuentutis florentibus. illa pro nobis respondit: misericordia tua impietas est, et exhortatio tua crudelitas est. postremo tantam ex Dei munere et illius fideli eruditione tolerantiae uirtutem accepimus, ut exsuperato prius Publio urbis praefecto, ita demum ab Antonino per uarios iudices transmissi fuerimus, qui uelut deficiente ad edomandos nos regis ipsius tyrannide singuli suam in nobis experirentur crudelitatem. merito igitur matrem et magistram talem beatissimam praedicamus. cum uero idem filii etiam secunda resurrectione surrexerint, ut in terra sua duplicia possideant animarum scilicet et corporum gloriam, tunc demum eandem matrem excellentissime praedicabunt, uidentes sese iam incorruptibiles, quos illa genuerat mortales. tunc uere adimplebitur, quod alterius translationis uerbis promittitur, ubi scriptum est: surrexerunt filii eius et ditati sunt, id est surgent et ditabuntur. et iusta plane commutatio. hic enim in paupertate uixerant maxime illa, quam Dominus insinuat dicens: *beati pauperes*

spiritu: in paupertate etiam ipsa eorum ossa quieuerunt; surgent ergo tandem et inaestimabili diuitiarum abundantia perfruentur. laudabit fortissimam hanc mulierem etiam ipse uir eius, uidens eam cum tanta beatitudine filiorum diuitum in resurrectione mortuorum. laudabit eam in suis, laudabit et in filiorum profectibus, tam laudabilem ostendens, quae digna sit ipsum cum angelis et sanctis omnibus collaudare.

CAPITVLVM XXI.

Laus ab inferioribus.

Multae filiae congregauerunt diuitias: tu supergressa es uniuersas. Cum tam iucunda sit nobis, quam in praesenti conferimus, beatae Felicitatis laudatio: quam sollemnem putamus illam, quae a filiis ei defertur, de qua supra dictum est, quantae uero excellentiae hanc, quae a uiro dignanter eidem impenditur? quomodo audiremus, si audire possemus, sicut laudat eam uir eius? si audire concederetur candidatum illum sanctorum martyrum chorum, qui filiorum eius Januarii, Feliçis, Philippi, Silani, Alexandri, Vitalis, Marcialis, septemplici concentu adornatur; quo desiderii ardore cor nostrum inflammaretur, ut eiusdem praeconii consortium adipisci mereremur? sed quoniam ante resurrectionis gloriam, sicut est, optabilem hanc uocem laudis audire non possumus, nunc interim quoddam eius indicium ab ipso, qui et tunc electos laudabit, a quibus laudabitur, audiamus. *multae,* inquit, *filiae congregauerunt diuitias: tu supergressa es uniuersas.* omnes fidelium animae catholicae ecclesiae sunt filiae, quae etiam sub euangelica parabola prudentes uirgines dicuntur et fatuae: filiae quia sacramentis ecclesiasticis renatae, uirgines, quoniam ab illicitis continent se. sed filiae multae, quarum hic diuitiae commemorantur, uirgines sunt fatuae: filiae non morum imitatione sed sacramentorum similitudine; uirgines, quia aeque ut prudentes continentiae operam dare uidentur; fatuae, quia interiorem fructus non habentes dulcedinem solum forinsecus ostentant florem. multae sunt, quia multiplicatae super numerum ad paucitatem non pertinent electorum; non ad unam illam, de qua in cantico canticorum dicitur: *una est columba mea. con-*

1. Mat. 5, 3. — 27. Conf. Mat. 25. — 35. Cant. 6, 8.

gregauerunt, inquit, *diuitias.* instant enim congregandis bonorum operum diuitiis, non tamen thesaurizantes in caelo sed in terra, unde nec ab imis, ubi est thesaurus earum, cor subleuare possunt.

Qualis uero sit huiusmodi congregatio diuitiarum, beatus Job insinuat dicens: *congregatio hypocritae sterilis.* filiae namque istae fecundae ac uirides in suis operibus humanis uidentur oculis, sed in conspectu occulti iudicis infecundae et aridae apparent. uerum quod in alia translatione dicitur: multae filiae fecerunt potentiam, ad eos refertur, de quibus Dominus ipse protestatur, ubi ait: *dabunt signa multa et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* quicquid diuitiarum tales filiae congregauerint ieiunando orando prophetando eleemosynas dando signa faciendo: uniuersas supergressa est ista, quae in caelo thesaurizauit. sunt autem aliae longe *his* dissimiles filiae, quae in corde puro et conscientia bona uerbi diuini semen suscipientes fructum Deo acceptum referunt: aliae tricesimum aliae sexagesimum. in matrimonio enim sancto fructus tricesimus, in uiduitatis continentia sexagesimus redditur. qua uero proprietate uel tricenarius coniugatis uel sexagenarius congruat uiduis, sanctorum patrum luculentius assertionibus edocemur; unde et de his in hac parte tantum commemorasse sufficiat. beata ergo Felicitas et has et illas supergressa est filias, quae post tricesimum coniugii et sexagesimum uidualis propositi fructum centesimum martyrii attulit in patientia. sed quid dico solummodo centesimum, quem plene Deo in propriae passionis hostia obtulisset, etiam si totiens in filiorum mortibus nequaquam praemisisset? unde et in hoc etiam perfectas plerasque supergressa est filias, ipsum uidelicet consummati fructus centenarium octonario multiplicatum patientissime offerens.

CAPITVLVM XXII.

Laus a parte contraria.

Fallax gratia, et uana est pulchritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur.

Videmus in pictura pretioso colori tetrum nonnumquam

6. Job 15, 34. — 12. Mat. 24, 24.

substerni, ut ex huius deformitate illius claritas decentior appareat. fortis quoque mulier ista uariis uirtutum circumamicta coloribus delectabile iam dudum cordibus nostris spectaculum praebuit, in cuius picturae termino despecti cuiusdam coloris litura submittitur, ut hinc uera eius pulchritudo iucundius enitescat. *fallax*, inquit, *gratia, et uana est pulchritudo.* ecce nigredo per se indecens, sed uarium picturae nitorem faciens quodammodo decentiorem. ubi nitor, qui ex huius nigredinis intuitu magis commendetur? *mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* gratia autem, quae hic fallax et pulchritudo, quae uana dicitur, ad diuitias illas pertinet, de quibus supra dictum est: *multae filiae congregauerunt diuitias.* gratia enim humani fauoris et pulchritudo usurpati honoris permaxima pars est earundem diuitiarum sed fallax et uana. fallit quippe filias illas gratia humana, qua dum florere concupiscunt, ab infusione diuinae gratiae inanescunt. uana est et pulchritudo, qua extrinsecus dealbantur, cum animae ueris uirtutum bonis exornandae detrimentum patiantur. quam fallaciam uel uanitatem uix aliquando in praesenti recognoscere possunt, quia seductae laudibus eandem de se coram Deo sanctitatis aestimationem esse credunt, quam ab hominibus deceptis libenter audiunt. ubi uero clausa tandem regni ianua seram et inutilem erroris sui paenitentiam agere coeperint, ibi mulier timens Dominum, quae hic despicabilis uidebatur, quae licet boni totius sibi conscia esset, semper tamen quasi tumentes super se fluctus timuerat Deum: ipsa iam timore sancto permanente in saeculum saeculi timens Dominum laudabitur. ecce ad quae perducit beatitudinis fastigia: *initium sapientiae timor Domini.* deprimit ut erigat, humiliat in uia ut exaltet in patria. unde bene alia translatione dicitur: timorem autem Domini ipsa laudet. ipsa quae laudabitur, timorem Domini laudet. ipsa enim non laudaretur, ubi fatuae excluduntur, nisi sapiens esset: laudet ergo timorem, qui erat initium, quo perduceretur ad sapientiae sublimitatem.

27. Ps. 110, 10.

CAPITVLVM XXIII.

Laus a consummata iustitia.

Date ei de fructu manuum suarum: et laudent eam in portis opera eius.

Expletis laborum praeconiis demonstratur consequenter certitudo remunerationis. ipsius autem sunt nouissima haec uerba, qui et supra sponsam suam laudauerat dicens: *multae filiae congregauerunt diuitias, tu supergressa es uniuersas.* ante tot mundi generationes praedici uoluit, quid in regeneratione beatae huic martyri dicturus sit. *date,* inquit, *ei de fructu manuum suarum.* angelos alloquitur, qui *exibunt et separabunt malos de medio iustorum,* gaudentes illos in hereditatem assumere salutis, propter quos ipsi administratorii spiritus quondam in ministerium fuerant missi. fructus manuum, qui dari ei praecipitur, de supra dictis bonorum operum seminibus germinauit. *et laudent eam in portis opera eius.* multae filiae congregantes diuitias laudabantur hic ab adulatoribus, haec in introitu regni laudatur ab operibus. feliciter laudaris felix martyr Felicitas, quae testimonium non ab ore solum sed ab opere meruisti, quemadmodum et ipse Dominus, qui dignatur dici uir tuus, incredulos ad fidem inuitans ait: si mihi non creditis, *operibus credite.* uere fructus manuum tuarum tam praeclarus est, ut supergrediatur multarum diuitias filiarum. Anna prius sterilis sed fecunditatis donum impetrans lacrimis solum Samuelem Deo deuouit et obtulit, tu fecunda mater septemplicem uteri tui fructum martyrio dedicasti. uidua alienigena tempore famis Eliam pascendum suscepit magis ab eo pascenda; tu uero non alienigena sed Dei domestica, ipsum prophetarum Dominum cordis tui habitatorem persecutionis tempore confessa, indefectiua dulcedinis eius ubertate satiari meruisti. altera uidua per Elisaeum excrescente oleo duos a creditore filios redemit, tu per septiformem sancti spiritus gratiam, quae oleo designatur, septem a seruitute peccati liberatos Deo liberatori obtulisti. Judith uidua alienigenarum ducem peremit Holofernem, tu inuisibilem tenebrarum superasti principem.

12. Mat. 13, 49. — 14. Hebr. 1, 14. — 21. Io. 10, 38. — 24. I. Reg. 1. — 27. III. Reg. 17. — 31. IV. Reg. 4. — 34. Judith 13.

Anna uidua et prophetissa processerat in diebus multis, ut Christum uideret infantem, tu inter beatos, qui non uiderunt et crediderunt, ad hoc profecisti uirtutibus multis, ut palam confitendo iam in caelis regnantem pro fideli eius testimonio fun-
5 deres sanguinem. multa in hunc modum de utroque sexu ad tuae beatitudinis laudem tam ex ueteri quam ex nouo testamento conferre potuissem, nisi ingrati lectoris fastidium timuissem. noui etiam multiplicem diuinae intelligentiae gratiam in domesticorum tuorum cordibus diffusam, qui tuo didicerunt
10 exemplo sapientiae ora sua aperire. unde et haec ipsa uelut ex superfluo sibi directa iudicarent, nisi cum ceteris uirtutibus etiam humiliter sentire legemque clementiae te docente in linguis praeferre studerent.

Ecce felicissima martyr Felicitas! non ut pro deuotione
15 affectus uolui, nec ut pro excellentia tuae dignitatis debui, sed ut pro hebetudine sensus mei potui, hoc sanctitatis tuae sigillum sculpere studui, ut sit memoriale tam filiorum tuorum quam nominis tui. equidem cum in libro uitae nomina uestra sint asscripta celebresque habeamini in frequentissima illa supernae
20 ciuitatis curia, non opus habetis laude uel seruitute humana quantumcumque officiosa. uerum nobismetipsis prospicimus ac thesaurizamus, cum sanctitatis uestrae patrocinia peculiari aliqua deuotione honoramus. sereno itaque uultu respicere dignemini tam obsequii huius ministrum quam omnes, qui pro uestra uene-
25 ratione uel sua aedificatione pie illud intueri curauerint, ut uestris adiuti precibus bonorum, quae his commendantur praeconiis, consortes esse mereamur, praestante Domino nostro Jesu Christo, cui est cum patre in sancti Spiritus unitate omnis honor et gloria per immortalia saecula. Amen.

2. Luc. 2, 16.

TVTONIS

SERMONES IIII IN NATALEM SEPTEM FRATRVM FILIORVM SANCTAE FELICITATIS CVM EIVSDEM EPISTOLA.

I.

Hodie, fratres carissimi, fecunda mater et felix martyr Felicitas fecunditatis suae fructum de terris ad caelos transmisit, hodie uteri sui et septemplicis martyrii fidele depositum Domino commendauit, hodie superna illa Hierusalem, quae est mater nostra, matri huic gaudens et tripudians obuiat, susceptaque illius pignera maternae dulcedinis gremio refouet. ipse Deus omnis gratiae et spiritualis arbiter militiae hodie gloriosa bella certantium respexit, sudores laborantium detersit ac refrigerauit, et immarcescibiles aeternae gloriae coronas triumphatoribus dignanter impertiuit. quamquam igitur inter ipsius beatae matris praeconia, quae iam pridem a nobis edita sunt, etiam filiorum eius laudes non omiserimus, libet tamen eisdem denuo repetitis liberius occupari et iucundius oblectari. exigit enim hoc uictoriosae passionis eorum reuoluta sollemnitas, quae hodierna die longe lateque credentium laetificat animas. equidem ob filiorum uel ipsius matris consummationem uotiua geminae celebritatis gaudia diuerso tempore colimus, sed sicut inter matrem et filios naturalis est carnis et sanguinis propinquitas, ita et duplicis huius festiuitatis magna altrinsecus inuenitur affinitas. per matrem quippe filii coronantur, dum eius eruditione uel exhortatione ad passionis tolerantiam roborantur. in filiis quoque mater patitur, dum martyrii eorum gladio inuisibiliter transuerberatur. et si matrem tam sanctitatis perfectione quam aetatis maturitate prouectam naturalis ille affectus in morte filiorum adeo tangebat, ut septies in eis passa uerissime dicatur, quis non aestimet

etiam ipsorum corda utpote puerorum uel adolescentum eodem naturae instinctu sauciata? numquid enim uiscera sua tenera a dolore continere poterant, considerantes utique sese a matre dulcissima temporaliter separari ipsamque pariter iudici praesentatam eiusdem sententiae finem praestolari?

Itaque cum inseparabilis utrobique uideatur passionis communio, eadem nihilominus est etiam utriusque sollemnitatis ratio. uerbi gratia: hodiernam diem pro ueneranda sanctorum septem fratrum passione debitis honoribus celebramus et constanter profiteri audemus, quia etiam matris ipsius hodie festa recolimus. sicut enim constat, quia isti hodie pro Christo passi sunt, ita aeque patet, quod et mater in singulis eorum passa est. quod si martyris cuiuslibet una tantum corporis morte triumphantis annua sollemnitas merito agitur, quanto magis dies ista, in qua beata Felicitas septem gladios sustinuit, ipsi pariter cum filiis attribuitur? quin potius eo gratiora filiis sua esse credo sollemnia, quo sollemnior in eis matris suae fuerit memoria. per eius enim industriam ad tantae sollemnitatis enutriti sunt gloriam, praeueniente tamen et subsequente matre illa de qua scriptum est: *sapientia filiis suis uitam inspirat, et suscipit exquirentes se, et praeibit in uia iustitiae.* item nec specialem ipsius festivitatem, quae pro consummata martyrii eius gloria celebris est, sine filiorum commemoratione agere possumus aut debemus, sed grata semper uicissitudine matrem uenerantes in filiis iucundemur, itemque filios excolentes in matre gloriemur. sic enim non solum religioni sed et naturae quod suum est deferimus. quaenam ergo etiam nobis in praesenti conuenientior erit loquendi forma, quam ita exsequi laudes filiorum, ut non longe digrediamur a matre ipsorum? intendit enim fortassis hoc expectatio auditoris, ut proprius ac specialis fiat sermo de filiis gratia hodiernae sollemnitatis, ac si superabundent quae supra dicta sunt de praeconiis matris. sed sicut ad locum unde exeunt flumina reuertuntur ut iterum fluant, ita congruam relationem habere uidentur septem riui nostri ad matrem quasi ad suum fontem, moraliter dumtaxat saluo litterae huius mystico sensu. ad quem fontem matrem uidelicet, si congruis uerborum uestigiis eos persequi ac per suos meatus inde diducere possemus, largam

21. Eccl. 4, 12.

praeconii eorum affluentiam tamquam fluminis impetum qui laetificat ciuitatem Dei cerneremus.

Nunc ergo quia non ex nobis sed ex Deo sufficientia nostra est, in quantum ipso largiente possumus, ad suscitandos in nobis caelestium desideriorum affectus quaedam amoris incitamenta tam a matre quam a filiis assumamus. erigamus fidei oculos; fides enim tam praeterita tam futura complectitur; erigamus, inquam, eius aciem ad contemplanda tantae sanctitatis uestigia, considerantes indutias illas, quibus beata Felicitas post felices filiorum suorum triumphos in huius peregrinationis aerumnis detenta est. nam aliquamdiu superuixit in uinculis tamen ut aestimari potest et in carcere, quia iudici cum filiis praesentata non legitur deinceps absoluta. tempus uero, quod inter hanc filiorum et eius sollemnitatem interpositum est, dilationem *eius* innuit. quo tempore patientiae eius uirtus magis magisque exercetur et probata per dies singulos coronatur. o impenetrabile diuini consilii arcanum, *quod* uere *abscondisti Domine a sapientibus et prudentibus, et reuelasti paruulis!* licet enim *filii saeculi huius prudentiores sint filiis lucis in generatione sua,* quis tamen ex omnibus illis aestimare potuit hoc arcanum? quis eorum felicem crederet, immo quis non infelicissimam iudicaret beatam Felicitatem uiro ac tot filiis pariter orbatam, obprobriis ac poenis expositam, carceri mancipatam, morti adiudicatam?

Sed tu Domine qui abscondisti a sapientibus, quanta per hanc temporalem infelicitatem pararetur beatitudo, reuelaueras auriculam paruulae tuae Felicitatis, paruulae in oculis suis, magnae in tuis, reuelaueras utique auriculam cordis eius, ut audiret uocem laudis, uocem iucunditatis, ne paueret ab auditu malo, a uoce exprobrantis et insultantis. consolabatur eam diues et felix conscientia, in qua dum tribulari uideretur, epulabatur et delectabatur sicut in omnibus diuitiis. ibi confabulabatur tecum, Domine Deus, et cum forinsecus audiret bella et seditiones, audiebat in hac domo quia loquereris *pacem in plebem* tuam, *et super sanctos* tuos *et in eos qui conuertuntur ad cor.* ibi repositas uidebat multiplices patientiae coronas, ibi quas sustinuerat septem filiorum mortes, ibi eos qui cottidie accrescebant meritorum honores. inter haec tamen graues illi erant morae, quibus a

2. Ps. 45, 5. — 18. Luc. 10, 21. — 19. Luc. 16, 8. — 34. Ps. 84, 9.

uisione tua differebatur, maxime sublatis iam e medio et praemissis ad regnum filiis, quorum corporali praesentia uberrime iucundari consueuerat, uidens in eis irreprehensibilem uitae ordinem et inuictae fidei spei et caritatis amplitudinem. considerabat nunc, ut psalmista ait, ad dexteram et uidebat: et non erat qui eam cognosceret; ipseque summus pater familias de filiis eius iam dicere poterat: *pueri mei mecum sunt in cubili.* uerumtamen *noluit* cum plorante Rachel *consolari quia non sunt,* ita uidelicet, ut solita uisionis eorum consolatio in praesenti uita amplius sibi redderetur. *dissolui* enim *et esse cum Christo* summopere desiderabat, ubi nec uidua nec orbata dici posset, audiens ab ipso uiro suo: *obprobrii uiduitatis tuae non recordaberis amplius, quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius. paupercula tempestate conuulsa, ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, filios tuos doctos a Domino: et multitudinem pacis filiis tuis,* quia in iustitia fundata es. ad desiderabilem huius consolationis gratiam totis nisibus anhelabat, ad hanc etiam per uniuersa tormentorum genera transire cupiebat.

Et haec quidem de sanctae matris desiderio, quo ad patriam suspirabat, pro nostra capacitate dicta sint; de electis uero filiorum animabus, quae ipsam ad regnum iam praecesserant, quid aestimare uel dicere possumus, qui corruptionis pondere praegrauamur et uix 'tenuissimum incorruptionis illius gustum praelibare meremur? uerumtamen ex euangelica auctoritate quid de animarum statu sentiendum sit uideamus. diues in inferno sepultus fratrum suorum, quos in hac uita superstites reliquerat, tantam habuisse curam perhibetur, ut Abraham pro eorum salute interpellauerit dicens: *rogo ergo te, pater Abraham, ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi ueniant in locum hunc tormentorum.* si ergo imminens gehennae poena damnato illi suorum memoriam adimere non ualebat, quin pro eis supplicaret, qui pro semetipso exaudiri non meruerat: qua putamus sollicitudine pro conseruis suis electorum inuigilant animae, in illa aeternitatis securitate iam quiescentes? tanto enim ardentius et liberius aliorum salutem desiderant, quanto a seruitute corruptionis

6. Ps. 141, 5. — 7. Luc. 11, 7. — 8. Matth. 2, 18. — 10. Phil. 1, 23. — 16. Is. 54, 4. et 5. 11 et 13. — 30. Luc. 16, 27—28.

alieni, suae salutis compotes effecti sunt. proinde quis pensare ualeat, quam deuota horum septem fratrum pro matris absolutione fuerit expectatio, et quam iugis ad Deum supplicatio, cum insignem illam morum suorum magistram et passionis sociam in eisdem adhuc quos euaserant agonibus cernerent positam? miro tamen modo nec expectatio ibi taediosa nec supplicatio est laboriosa. ipsa enim expectationis tranquillitas manifeste insinuatur, ubi sanctis martyribus, cum singulas stolas albas accepissent, divina uoce dictum est: *ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleretur numerus conseruorum et fratrum eorum.* ad cuius requiei consortium cum beata Felicitas consummato iam cursu euocari meruisset, o quam festiuo apparatu splendidi, quam admirabili iucunditate circumamicti inter reliquos martyres primi occurrerunt filii, debita gratiarum actione matrem honoraturi et in aeternum beatissimam praedicaturi! ecce *isti sunt semen, cui benedixit Dominus*, iste fructus uentris in laudem et gloriam fecundae genitricis. hos igitur attendentes tantae gloriae respectu peccatorum ignominiam abhorreamus, ad perfectionis huius normam imperfectum nostrum corrigere ac reformare studeamus, praestante Domino nostro Jesu Christo, cui est omnis honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

II.

Item unde supra.

Celeberrimum fidei patris nostri Abrahae exemplum in beata matre Felicitate ac filiis eius manifeste praelucet, et iucundum fidelibus Christi spectaculum exhibet. oportet itaque, ut cum seruitutis nostrae officio congruat uitae religio, ut, qui ad hodiernae festiuitatis gaudia mentis deuotione ducimur, multo magis ad mores excolendos et ornandos eiusdem fidei imitatione trahamur. hoc enim pacto accepta sanctis martyribus fidelium creduntur obsequia, si certa sanctitatis suae in eis reperiant uestigia. apostolus ad Hebraeos scribens congruum fidei Abrahae testimonium perhibet dicens: *fide obtulit Abraham Isaac, cum temptaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones: ad quem dictum est: quia in Isaac uocabitur tibi semen: arbitrans*

10. Apoc. 6, 11. — 16. Is. 61, 9. — 19. fort. scr.: *cor corrigere.*

quia et a mortuis suscitare potens est Deus. et ille quidem in figura summi patris unigenitum obtulit, de sponsione propagandae posteritatis nihil haesitans, Felicitas uero cum septem genuisset, ne uni saltem spe instaurandi generis pepercit, sed in confessione unigeniti Dei uelut unum ex omnibus holocaustum fecit. ille pro oblatione filii benedictionem consecutus est dicente Domino: *per memetipsum iuraui: quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio tuo unigenito: benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli, et sicut arenam quae est in litore maris.* de ipsa quoque benedictio illa conuenienter accipi potest quae diuina uoce promittitur: *uiduam eius benedicens benedicam.* merito enim omni benedictione spirituali in caelestibus benedicitur, quae nullo transitoriae voluptatis solatio fouetur, immo et licitis sponte destituitur. nec putandum quod per temporalem filiorum vel suam mortem tamquam succisa radice posteritatis eius germen pullulare desierit, cum ex tunc multo amplius dilatatum iuxta benedictionem patriarchae in modum stellarum effulserit. quod enim ipse de se ait, qui electorum omnium caput esse uoluit, quia *nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert,* idem etiam de membris eius intelligendum est. frumenti quippe nomine coadunata per fidem electorum multitudo exprimitur propheta attestante qui ait: *quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum?* frumentum hoc *in* area mundi huius nunc interim per reproborum admixtionem quasi palearum congerie premitur, in fine vero diuini iudicii uentilabro segregatum caelestibus horreis recondetur. cuius frumenti singulare granum ipse Dominus per humanitatis assumptionem fieri dignatus est, uentosque ac pluuias et aestus solis, id est uarias persecutionum iniurias usque ad mortem sustinens, multum in electis fructum attulit. et quoniam morte sua non solum uitae remedium sed et patientiae praebuit exemplum, plurimae martyrum turbae tamquam frugum eius primitiae ipsi principali grano conformatae sub hiemali persequentium asperitate moriuntur.

Per uitalia vero sanctitatis exempla, quae proximis reli-

1. Hebr. 11, 17—18. — 9. Gen. 22, 16. — 11. Ps. 131, 15. — 21. Joan. 12, 24. — 24. Zach. 9, 17.

querunt, per miraculorum quoque insignia, quae frequenter ostendunt, denuo in cordibus fidelium reuirescunt et multum Deo per imitatores suos fructum afferunt. laeta ergo electorum fruge ubertim germinante, cum beata Felicitas septem filios suos ad incrementum iustitiae Deo auxiliante perduxisset, nonne iuxta mysticam illam reuelationem uelut septem spicae pullulare uisae sunt in culmo uno plenae atque formosae? sed quid profecerunt persecutores, septem sterilium spicarum speciem tenentes, pro uniuersitate uitiorum quibus subiacebant? quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero uniuersitas figuratur. Salomon quoque in talium cordibus septem esse nequitias testatur. steriles ergo et uacui a bonis et pleni omnibus malis insectando bonos uirtutum germine plenos quid fecerunt? quantum in ipsis erat, omnem eorum pulchritudinem deuorare conabantur, sed occisis corporibus interiorem animarum decorem attingere non ualebant, quem tamen pariter sese absorbuisse opinabantur. illi uero seruata uiroris sui gratia germinabunt sicut lilium et florebunt in aeternum ante Dominum, in praesenti quoque uita ubi extincti uidebantur semper accipiunt incrementum. accidit plerumque ut uidua, quae in deliciis uiuens iam mortua est, admotis extinctae animae uiuificis uerae huius uiduae exemplis, resumpto paulatim uigore animetur, et priora mortis suae damna emendatiore postmodum recompenset uita. ipsae etiam sacrae uirgines, si quando in propositi sui custodia fuerint negligentiores, huius fortissimae mulieris imitatione suscitatae redduntur cautiores. nonne in his refloruit radix illa, septem spicis iam dudum onusta et nunc rediuiuo fructu speciosa? iuuenes quosdam beatus Ioannes alloquitur dicens: *scribo uobis iuuenes, quoniam fortes estis, et uerbum Dei in uobis manet et uicistis malignum.* hi ergo si intermissa uerbi diuini diligentia, uitiorum illecebris a solita fortitudine resoluti, maligno cesserint quem prius deuicerant, fortissimorum iuuenum istorum memoria commoniti subito recalescunt, arma uirtutis corripiunt, et securum hostem rursus ad certamen prouocant.

Ecce iterum septem spicae illae nobili culmo exortae innouato germine ditantur, miraque diuini muneris largitate, quanto amplior et suauior refectio ex earum abundantia aliis prouenit,

12. Prou. 26, 25. — 30. I. Ioan. 2, 14.

tanto maior iustitiae fructus ipsis accrescit. et haec quidem de imitandis uitae eorum exemplis dicta sint; quis vero miraculorum gratiam retexere ualeat, qua Deus mirabilis in sanctis suis matrem istam cum filiis glorificat? quorum meritis dum caecis uisus, surdis auditus, claudis gressus redditur seu quaelibet alia corporum infirmitas curatur, ex miraculorum ostensione animarum incolumitas fidei spei et caritatis augmento roboratur. cum uero iam longe lateque felicibus gratiae huius experimentis Christi laetetur ecclesia, speciali tamen quodam munere sese ditatam et illustratam gloriatur Saxonia. quae cum in primordio susceptae nuper fidei necdum prioris ignorantiae tenebras ad plenum deseruisset, immo quasi aurora in ortu suo quasdam adhuc transactae noctis reliquias secum traheret, ordinante illo magni consilii angelo dispositum est, ut pro expetendis a sede apostolica sanctorum reliquiis fidelis legatio dirigeretur. quod ea ratione prouisum est, ut si qui doctrinae sacrae uerbis non corrigerentur, exhibitis per praesentiam sanctarum reliquiarum signis conuerterentur. cumque satis gratanter legationem istam pontifex Romanus accepisset, pio fidelium desiderio satisfaciens corpus beati et uere magni Alexandri martyris, unius ex praeclaris beatae Felicitatis filiis, ad reborandam nouellae fidem ecclesiae transmisit.

Proinde sicut matris huius pretioso sanguine Roma insignitur, ita speciali eius uisitatione Saxonum terra illustratur. o quanta gentis illius fuit exultatio laus et gratiarum actio, cum datum sibi a Deo patronum excipere meruisset occursu deuotissimo! quis ibi a lacrimis sese cohibere potuit, quas laetitiae magnitudo profudit, praesertim cum beati martyris caput sanctissimum quondam in confessione Christi amputatum et indigne abiectum, nunc palliis honorifice inuolutum, omnibus huic spectaculo fideliter occurrentibus salutandum ac deosculandum offerretur? denique coruscantibus miraculis residua infidelitatis dissipatur nebula, et suffragantibus patroni sui meritis ualidissimo religionis munimine firmatur ecclesia. quid igitur aestimandum de matre totiens passa, cum tantum ualuerit filius semel passus? aut quid de coaequalibus ipsius reliquis fratribus, cum tam excellenter effulserit unus? quis de singulis quae sua sunt digne proferat, cum et unius meritum ingenii uirtutem et linguae

superet facultatem? quocirca cordis oculos, qui a contuitu claritatis eorum reuerberantur, ad nosmetipsos deflectamus, et in nostri consideratione potissimum illos exerceamus. nihil enim prodest, immo non nihil obest, alieni peritos nos esse meriti et ignaros nostri. quia uero de frumento electorum supra dictum est, quod solum coram Deo bonum et pulchrum propheta testatur, duo nobis magnopere pensanda sunt, per quae intelligere possimus, si ad frumenti huius consortium pertineamus. primo enim uidendum, si sana et firma in intimis sit radix, deinde si bonus et abundans in aperto fructus. radix in terra cogitatio est in corde, fructus super terram opus in manifesto. sed si radix cogitationis uitio prauae intentionis uiolatur, iam deinceps in cultura operationis incassum labor expenditur. ipsorum ergo, de quibus loquimur, interueniente patrocinio tam sinceritatem cordis quam fructum operis in nobis consummare dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto uiuit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

III.

Item unde supra.

Quo frequentius hodiernae sollemnitatis causam retractando uentilamus, eo artiori sollicitudine nosmetipsos obligamus, ut uidelicet non tam quid dicendum sed magis quid agendum nobis sit, eiusdem causae respectu attendamus. multiplex namque beatae Felicitatis sacrificium multiplicem imitationis exigit deuotionem. quid ergo nobis de nobis erit residuum, si pro possibilitate nostra spiritualiter eius sequi uoluerimus exemplum? cuius denique cor et caro sic exultabunt in Deum uiuum, quemadmodum eius quae utrumque horum tam in filiis quam in semetipsa plenissime immolauit? proinde fidelis ac Deo deuotus uirtutum aemulator ad offerenda holocausta medullata sese exhortando incitet dicens: *benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt nomini sancto eius:* qui enim omnia interiora sua ad consonam illam diuinae laudis harmoniam coadunare potuerit, recte pro uniuersitatis huius collectione spiritualem septenarii oblationem Deo se consecrasse gaudebit. ut vero etiam simpli-

32. Ps. 102, 1.

cioribus satisfaciamus, aliquanto manifestius offerendi septenarii rationem proponamus. inuenimus quendam uitiorum catalogum sub hoc numero determinatum, Salomone nobis demonstrante ubi ait: *sex sunt quae odit Dominus, et septimum detestatur anima eius: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes ueloces ad currendum in malum, proferentem mendacia testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordiam.* oculorum ergo extollentia per humilitatis uirtutem deiecta, cum publicano illo, qui nolebat nec oculos ad caelum leuare, quam humiliter sentiamus, etiam in exteriori habitu demonstrare curemus, et sit haec quasi primogeniti nostri oblatio. si uero linguam a malo prohibentes ueritatem diligamus, alterum nos filium in ara fidei obtulisse gaudeamus. tertia nostrae deuotionis haec erit hostia, si non tantum ab effusione innoxii sanguinis sed a contagio totius iniquitatis manus continentes magis in operibus iustitiae illas exerceamus. deinde ne quartum desit sacrificium, petamus a Deo cum propheta, ut cor mundum creare dignetur in nobis, immolandum sibi in odorem suauitatis, statuat etiam supra petram pedes nostros et dirigat gressus, ne facile retorqueantur ad currendum in malum, ipsaque stabilitate nostra uelut oblatione quinta honoretur. summopere autem cauendum, ne falsum contra quemquam perhibeamus testimonium, sed ad imitationem testium Christi, quorum sollemnia colimus, pro ueritatis attestatione etiam mori optemus; sicque sexto loco acceptabilem hostiam immolabimus. denique contra detestabilem illum qui seminat inter fratres discordiam, sanctorum fratrum istorum oppositam habemus concordiam, cuius exemplum sequentes septemplicis sacrificii perfectionem assequemur. his enim quam bonum et quam iucundum uisum fuerit habitare in unum, hinc manifeste patuit, quia et in religione sanctae conuersationis unanimes uixerunt et in consummatione pretiosae mortis inseparabiles perstiterunt.

Vnde animaduertere libet, quam artificiosa calliditate serpens antiquus per ministros nequitiae suae decertauerit, si quo modo societatem spiritus quo uniti erant dirimere potuisset. quia enim idem ipse quasi *leo rugiens circuit quaerens quem deuoret,*

4. Prou. 6, 16 sqq. — 18. Ps. 50, 12. — 20. Ps. 39, 3. — 30. Ps. 132, 1. — 36. I. Petr. 5, 8.

primo etiam hos sanctos martyres leonina feritate inuasit, cum concitato per pontifices templorum seditioso tumultu, uelut immani fremitu, corda eorum a fiducia quam in Christo habebant deterrere temptauit. at ubi ne ad modicum quidem tali eos impetu perturbatos uidit, dissimulata mox tyrannide quam exercere coeperat, serpentino more ad insidiarum latebras rediit. nam Euam suam sese reperturum ac seducturum existimans, per Publium urbis praefectum beatam Felicitatem priuatim adduci iussit, et blando colloquio ad sacrificium eam prouocans, eisdem paene uerbis usus est, quibus et olim cum diceret: *in quacunque die* manducaueritis ex ligno, *aperientur oculi uestri: et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* aestimabat uero, quia si matrem qualibet arte a filiis separaret, illos iam destitutos facillime superaret. sed ne sic quidem proficiens paulo ante depositam leonis ferocitatem resumpsit, itemque, ut populari frequentia obstupescerent, pariter iam matrem cum filiis in forum Martis ad discussionem iudicis deduci fecit. hic iam per singulos fratrum illa biformi serpentis uel leonis specie uicissim utitur, modo seductoria insibilans blandimenta modo autem terribiles irrugiens minas. cumque se in ministro suo Publio per inseparabilem eorum unanimitatem et magnam responsionum auctoritatem confutatum erubesceret, ipsum regem Antoninum tali artificio fraudis suae instruxit, ut localiter separatos uariis iudicibus puniendos transmitteret. aestimabat enim eos fraternae caritatis concordiam deserturos et ab integritate fidei facilius discessuros, si et materna consolatione et mutua adhortatione, qua sese uicissim confortare solebant, disiuncti fraudarentur. diuina uero prouidente clementia sanctis martyribus praeparatur ad gloriam, quod hostis callidus praestruere conatus est ad ignominiam. nam tanto clarior eorum uirtus emicuit, quanto plures tyrannorum impetus tolerando superauit, maiusque praemium fraternitatis concordia meruit, quae separatis quoque corporibus eadem perseuerauit in cordibus. unde conuenienter in eorum commemoratione illud propheticae exultationis praeconium repetimus dicentes: *ecce quam bonum et* quam *iucundum habitare fratres in unum.* quia enim in praesenti nec blandimentis nec tormentis ab unitate fidei auelli potuerunt, nunc uere unius participatione gaudent,

12. Gen. 3, 5. — 35. Ps. 132, 1.

cuius expectatione psalmista in spe gratulabatur dicens: *unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus uitae meae.* quocirca nos, qui iucunda eorum ueneramur sollemnia, sanctae fraternitatis informemur concordia, pudeatque in pace nunc ecclesiae pacem cum proximis non habere, quam in illis nec persecutionis turbo ualuit perturbare. illi inter gladios diligebant inimicos, nos in tranquillitate nec ipsos pure amplectimur amicos. quicquid igitur est offendiculi, quo unicus ille fraternae caritatis sauciatur affectus, reconciliato foedere curemus, ut et seruitutis nostrae accepta sit oblatio et pia sanctorum martyrum pro nobis exaudiatur oratio per mediatorem Dei et hominum Christum Iesum, cui sit laus et gloria per infinita saeculorum. Amen.

IIII.

(Item unde supra.)

Adest nobis, dilectissimi, dies optabilis et triumphali beatorum martyrum sanguine uenerabilis, qua et iustus gloriatur et peccator refouetur. in sanctorum namque celebritate quod suum est uterque inuenit, ubi et iustus maioris iustitiae agnoscit exemplum, peccator uero necessarium culpae amplectitur remedium. proinde ad excipiendam praesentis diei laetitiam communis utrorumque uidetur expectatio, licet dispar sit meritorum condicio, cum et iste ad perfectae religionis imitationem hilariter properet, ille autem ad ueniae reconciliationem per sanctorum suffragia suppliciter adspiret. talis est enim hodiernae festiuitatis iucunditas, quae non solum intentam facere possit fidelium ac spiritu feruentium expectationem, sed et tardioribus quibusque promptiorem excitare deuotionem. septem quippe beatae Felicitatis filii, qui martyrio suo sollemnitatem dedicauerunt huius diei, uelut septem lampades sunt ardentes in conspectu Domini, ideoque diffusis longe lateque radiis, dum spatiosam ecclesiae domum illustrant, etiam adolescentiorem illum filium, qui peregre profectus est in regionem longinquam, data patrocinii sui fiducia

3. Ps. 26, 4. — 13. fort. scr.: *saecula saeculorum.* — 15. Haec inscriptio in cod. deest; sed uoces *Adest nobis* litteris maiusculis scriptae et *A* littera rubro colore picta indicant incipere hinc nouum sermonem.

ad patrem luminis inuitant. nam quid aliud etiam ipse confitetur, cum reuersus occurrenti sibi misericordiarum largitori in satisfactione paenitentiae loquitur dicens: *pater, peccaui in caelum et coram te?* in caelum procul dubio peccat, qui ab arduis sanctorum semitis deuians sanctae societatis eorum iura contaminat, ideoque ipsorum quos offendit patrociniis eget, ut rediens per paenitentiam in eiusdem beatitudinis consortio recipi ualeat. unanimi ergo alacritate omnes iucundemur in Domino, beatae Felicitatis feliciumque filiorum eius triumphali congaudentes gaudio.

Filiis saeculi huius incomparabilia uictoriae uidentur insignia muros urbium subuertisse, turrium munitiones complanasse, aduersariorum principes uinctos abduxisse uel tributarios reliquisse. quae licet corporalis tantum militiae exercitatione et fraudulenta nonnumquam circumuentione gerantur, illorum tamen aestimatione gloriosa et iucunda iudicantur. at si quis perpendere ualeat, qualiter ipsi expugnatores urbium portentis expugnentur uitiorum, non uictoriae illis palmam, sed seruitutis ascribet infamiam. nostri uero uictores a primis fidei tirociniis contra inuisibilem mundi huius principem spirituali semper conflictu exercebantur, donec deuicta uitiorum barbarie tandem sub manifesta persecutione martyrii triumpho insigniri meruerunt. cum talibus ergo christianae militiae ducibus ad confundendam Romani principatus tyrannidem mulier fortis hodierna die in stadium processit, et expectantibus angelis immo angelorum Domino in agone fidei legitime desudavit. uideas etiam nunc Debboram propheten et plus quam propheten ducatum militiae domini exhibentem, et in monte Thabor qui interpretatur ueniens lumen expeditos in proelia ordinantem. in eminentia quippe uirtutum et illustratione uenientis desuper luminis consistunt, qui contra Sisaram, quod est exclusio gaudii, spiritualis uictoriae gaudio laetificari merentur. sic enim et in cantico Debborae de hac uictoria scriptum est: *de caelo dimicatum est contra eos, stellae manentes in ordine et cursu suo contra Sisaram pugnauerunt.* surgat ergo Debbora nostra, uere Debbora id est apis gustum nobis praebens dulcedinis, surgat, inquam, et loquatur canticum, id est quam sublimis in conspectu Dei sit, et quam

4. Luc. 15, 18. — 35. Iudic. 5, 20.

suaue laudis eius canticum iubilare meruerit, sursum erectis cordibus nostris innotescat.

Quamdiu enim carnaliter sapimus, nihil magnum nihil altum de sanctorum gloria sentire possumus. et quid ait: *ego sum, ego sum quae Domino canam, psallam Domino Deo Israel?* uere tu es beata Felicitas mater in Israel, quae Domino canes canticum exultationis et laetitiae, eo nimirum specialius, quo gloriosius reliquos suprergressa es martyres in filiorum mortibus. apte quoque laudando Dominum ipsis tuis dicas collaudatoribus, quod Debbora illa in cantico suo dixerat uictoribus: *qui propria uoluntate obtulistis uos discrimini, benedicite Domino.* denique et nos ad recolendam eiusdem laudis memoriam, quam illis credimus continuam, psalmistae uocem assumamus, nostraeque deuotionis affectum illis coadunare desideremus dicentes: *laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.* quibus uerbis cum ad laudandum eos, qui laudare numquam desinunt, cohortari uideamur, nosmetipsos potius excitamus, ut ad diuinae laudis desiderium ipsorum exemplis imbuamur. sed et pueritiae nomine simplicitatis et humilitatis eorum puritatem commemorantes, qualiter uita magis quam lingua iubilare nos oporteat admonemur. equidem plurima sunt, quae de eorum gloria ad aedificationem fidelium replicentur, qui et uitae meritis et effusione pretiosi sanguinis ecclesiam Christi aedificasse creduntur. sed tua sunt haec Domine Iesu, *qui es testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terrae,* qui operatus es in eis, ut operarii inconfusibiles esse possent; glorificasti eos, ut tibi gloriam darent, quem mortui non laudant, sed uiuentes benedicunt uiuentem in saecula. tu autem idem ipse, qui glorificatus es in illis, magnus nimirum in magnis magnificare et in nobis gloriosius utique in minimis, coruscantibus nos magnorum instruens exemplis et muniens suffragiis, ut cum ipsis laudemus et magnificemus nomen tuum benedictum per infinita saecula saeculorum. Amen.

5. Iudic. 5, 2. — 11. Iudic. 5, 9. — 15. Ps. 112, 1. — 25. Apoc. 1, 5.

Epistola unde supra.

Filiabus Hierusalem Tuto peccator. De claritate transformari in claritatem qui obtentu gloriae uel commodi temporalis familiarem terreni principis gratiam appetit, per quosdam promotionis gradus ad hoc quod altum sibi uidetur culmen ascendere nititur. neque enim repente ignotus quisquam palatii secretarium adire ac praesentiae regali praesumit assistere, sed prius alios aliosque officiales vel cubicularios frequentans, officiis obligans suaeque necessitudini concilians, his mediatoribus praemissis ueluti scalis quibusdam erectis tandem ad optatae dignitatis arcem prouehitur. et haec cum uana sint ac seductoria et ad instar nebulae diffugiant, laboriose tamen quaeruntur, uix obtinentur nec sine poenali dolore amittuntur. quanto magis indignus ego pro aeternitatis spe nullum recusabo laborem? quia uero iuxta praemissam similitudinem peccatis exigentibus a facie regis aeterni alienatus ad reconciliationem gratiae eius propria uirtute assurgere non ualeo, per uos, quas in cellaria sua introduxit, hoc obtinere ambio. quapropter opportuna importuna obsecratione uel commonitione uobis iugiter insto, qualibuscumque sedulitatis meae officiis sanctitatem uestram excolo, ut mediante orationum uestrarum suffragio eum, cui placere nitimini, placatum inueniam. hinc est etiam quod nuper iniuncto mihi a quibusdam fratribus oneri licet impares uiribus humeros libenter submisi, considerans nimirum uestro quoque hoc conuenienter profuturum obsequio. ad describendas etenim beatae Felicitatis matris laudes dormitantem ingenii mei tarditatem excitare conati sunt, ut infelicitatis meae interim oblitus felicissima eius merita quanta possem deuotione attollere curarem.

Cum uero propositam mihi materiam diligenti meditatione mecum uoluere coepissem, atque, ut initia rerum plerumque grauiora esse solent, ab ipso inchoationis limine aliquamdiu haesitando retardarer, uestra subito recordatione animatus sum. maior protinus accessit fiducia, et confabulabar cum corde meo dicens: quid trepidas? si petitioni fratrum istorum oboedieris, sanctis Dei ancillis tibi iam dudum deuotis misso eodem opus-

culo spontaneum exhibebis ministerium. quod etsi his, qui hoc a te nunc exigunt, postmodum districtius examinatum displicuerit, illis tamen, quibus iam pridem alia quaedam scripsisti, superfluum fortasse non uidebitur. hac igitur spiritus mei persuasione incitatus propositum arripui, optans ut tam uestrae proficiat aedificationi quam eorum qui materiam praestitere scribendi. immo et amplius ac specialius uos accendere debent magnifica sanctae matris huius exempla, in quibus excellenter enituit sexus uestri gloria. ob natiuitatem praecursoris de Elisabeth scriptum est: *quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei* uicini et noti. uere etiam cum beata Felicitate magnificauit misericordiam suam, quamquam aliter, ut non dicam amplius. absit enim, ut sine auctoritate quicquam proferre audeam. patet autem quia Elisabeth, licet eum, quo inter natos mulierum maior nemo surrexit, unum tamen solummodo genuit, cum quo martyrium non sustinuit, Felicitas vero septem edidit, in quibus septies passa ad martyrii coronam peruenit octaua. magnificauit ergo Dominus misericordiam suam cum illa et congratulatur beatitudini eius omnis ecclesia, gaudens habere se in ea piae intercessionis solatium et inuictae fortitudinis exemplum. nec solum uiduis sed et uirginibus martyr ista proponitur, partim imitanda partim uero tantum admiranda. sicut enim in beata et gloriosa uirgine uirginum Maria uirginalem admiramur partum, sic in beata Felicitate plenum septemplicis partus sacrificium. et illi quidem in omnipotentia filii ea sunt possibilia, quae reliquis filiabus Euae omnino sunt impossibilia, ideoque singularis et incomparabilis eius est reuerentia. ceterum nulla deinceps uirgo adaequari potuit uel poterit his quae Felicitas pertulit uel obtulit: uirgo sit, martyr sit, filiorum gladium materna uiscera penetrantem nescit, quia mater non fuit, ideoque admirandam solummodo in hac parte uirginibus beatam dixi Felicitatem. stupendum beatus Hieronymus describit miraculum, quod mulier quaedam falso infamata et tortoribus tradita post ignem et ungulas tandem gladio septies percussa fuerit, sed nec ad confessionem obiecti criminis compelli nec ullatenus occidi potuerit. ecce et beata propugnatrix nostra ueritati perhibens testimonium, maiore uirtutis miraculo

11. Luc. 1, 58. — 15. Matth. 11, 11.

non tantum septiés sed et octiés percussa, occidi potuit superari non potuit. illa materialis gladii septem pertulit ictus, huius animam totidem uicibus inuisibilis pertransiuit gladius, sicque octaua percussione ferri sauciatum concidit corpus. illa hebetato diuinitus mucrone absoluta ad uitam praesentem differtur et ab imperatore libertati redditur, haec saeuiente ad momentum tam uisibili machaera, de tabernaculo corporis emigrans, regi caelorum coronanda praesentatur.

Omnes igitur, tam uirgines quam uiduae, sanctae martyris huius uitam inclitam ac mortem pretiosam uelut geminum speculum oculis interioribus applicate, an forte aliqua in parte illam inueneritis considerate. *mulierem* enim *fortem quis inueniet?* quae uestrum animae suae speciem eius imitatione limatam recognoscet, ut hoc modo sese illam inuenisse gaudeat? quaecumque talis fuerit, *confidit in ea cor uiri sui*, de quo apostolus ait: *despondi uos uni uiro uirginem castam exhibere Christo.* ad quam confidentiam promerendam cautissima nobis circumspectione opus est, ne si in aliquo motu uerbo uel actu sinistrae suspicioni locum dederitis, tanti uiri offensam incurratis. praecipue uos quae iuniores estis, quibus grandis restare uidetur uia, quibus pondus diei et aestus imminet, iuniores, inquam, delicta iuuentutis expauescite, beatae Felicitatis perseuerantiam attendite, quae longos uitae suae labores martyrii gloria consummavit. habetis etiam in praesenti matrem uenerandam, diuturnis occulti martyrii agonibus exercitatam, quae ad imitationem eiusdem matris semetipsam *fortitudine accinxit et Chananaeo cingulum tradidit*, id est a saeculi uanitate conuersis pudicitiae ac totius disciplinae exempla praebuit. cui praestare dignetur Dominus, ut peruigili semper sollicitudine *semitas domus suae* consideret, cumque ministerium sibi creditum compleuerit, detur *ei de fructu manuum suarum et laudent eam in portis opera eius.* suscepto itaque hoc beatae Felicitatis sigillo, iucundiori deinceps affectu ac promptiori famulatu matrem cum filiis excolite, sicque sacrati huius octonarii ope detestabilem illum principalium uitiorum octonarium expugnare nitimini. primo gastrimargiam, quod est uentris ingluuies, continentiae suae exemplo mater sancta re-

12. Prou. 31, 10. — 15. ibid. 31, 11. — 16. II. Cor. 11, 2. — 27. Prou. 31, 17 et 24. — 31. Prou. 31, 27 et 31.

stringat, Ianuarius filiorum primus a ianua cordis et contactu corporis fornicationem repellat, Felix tam imitatione quam nomine matris insignitus philargyriam, id est auaritiam, extinguat, Philippus, qui os lampadis interpretatur, mentibus illustratis irae nubilum discutiat, Silanus, qui dicitur missus, ad effugandam tristitiam pius consolator Deo mittente ueniat, Alexander, qui interpretatur auferens angustiam tenebrarum, accidiam id est anxietatem seu taedium cordis auferat, Vitalis uitae contrariam cenodoxiam a uitalibus animae secludat, Marcialis a Marco qui excelsus mandato dicitur nomen accipiens superbiam, qua excelsa Dei contemnuntur mandata, gladio spirituali deiciat. ecce medicina caelestis, confectio salutaris, efficax et praepotens ad effuganda diri serpentis uenena. legis praecepto species aromatum octo delectae sunt, quarum quatuor ad conficiendum sanctificationis unguentum, totidemque ad thymiamatis compositionem deputantur. unguento illo tabernaculum et omnia quae ad Dei cultum sacrificanda erant ungebantur, thymiama uero in odorem suauitatis ad placandum Deum adoleri solebat. ecce et nunc sacrato martyrum nostrorum octonario tabernaculum, quod fixit Deus et non homo, catholica scilicet ecclesia illustratur, et odore suauissimo diuina maiestas placatur. his imbutae charismatibus ad culmen filicissimae ascensionis, quae item octo gradibus euangelicis describitur, quantocius properate, ipsum qui uia sanctorum omnium est obnixius efflagitantes, ut et me licet indignum comitatui uestro sociare dignetur. decursa vero supra dicti opusculi serie, in qua ad eos qui materiam proposuerant stilum uertere cogebar, hanc uelut recapitulationis epistolam pro uestra speciali dilectione subiungere curaui, ut pro parte uobis deputata totum iuri proprio uindicetis, totum possideatis ac defendatis ad laudem Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto uiuit et regnat in saecula. Amen.

TVTONIS

PASSIO SANCTORVM MARTYRVM VITI, MODESTI ATQVE CRESCENTIAE.

Regnante Domino nostro Jesu Christo et coruscantibus passim salutaris fidei radiis etiam in regione umbrae mortis, ortus est ex Lucania prouincia beatissimus puer nomine Vitus, qui totius uirtutis, ut scriptum est, doctrinam quasi antelucanum illuminaret omnibus. in quo ut euidentius claresceret collata *ei* diuinitus specialis praerogatiua beatitudinis, nequaquam in uia Dei parentum suorum uestigiis ducitur, sed illis inter uasa contumeliae in gentilitate permanentibus, ipse per electionem gratiae inter filios Dei computatur. neque uero diuitiis affluentibus cor apponere uoluit mature intelligens, quia Deo pariter et mamonae seruire non possit. spretis igitur omnibus in Dei solius seruitio totis tam animi quam corporis occupatur uiribus, immo et ultra uires, ieiuniis uigiliis et orationibus ceterisque huiusmodi exercetur laboribus. quod ut amplius admireris, non ei maturitas ex tempore nec robur ut assolet ex adulto accesserat corpore, cum puerulus esset tantum septennis. atterebat tenera delicati membra corpusculi asperitate nimia cilicii, carnis quippe nobilitatem cultumque illi congruentem ut florem calcabat marcescentem. talibus instantem studiis diuina roborat consolatio, cum uox ad eum caelitus delata precum eius efficaciam fideli approbat testimonio. Vite, inquit, exaudita est oratio tua, desiderio animae tuae satisfaciet gratia mea. adest praeterea deputata puero senioris paedagogi beati Modesti fida sollicitudo, obsequitur, fert curam, adhibet diligentiam, cuius ille dulci colloquio ac salutari consilio uelut quodam ardentis desiderii gaudet refrigerio. cui et beata Crescentia familiare nihilominus praestat obsequium, sedulae nutricis implens officium; tribusque his insolubili beatae societatis foedere unitis, quis iam triplicem hunc

rumperet funiculum? mouet tamen hostis callidus antiquas nequitiae suae machinas, nihil intemptatum relinquit, quo sancta illa dissoluatur societas.

Pater enim beatissimi pueri Hylas nomine, cognita filii religione, indignatur dolet angustiatur, uaria ad euersionem eius deceptionum artificia utpote gentilis meditatur. prauorum quippe peruersitas nequaquam suis contenta malis bonis semper inuidet alienis, nec satis uidetur sibi nocentem esse, nisi etiam alterius noceat innocentiae. primo igitur ipsum alloquitur, blanda persuasione puerilem ut uidebatur sensum circumuenire nititur. quocontra beatus puer pueritiae metas canis iam sensibus transcendens, traditam sibi fidei regulam constanter afferebat, et profanam idolorum culturam sermone prudenti euacuabat. pater uero constantiorem animo paratiorem responso quam aestimauerat expertus, in catomo leuatum uerberibus affici iubet. a principibus quoque Diocletiano et Maximiano, qui ea tempestate regnabant, maiora ei supplicia inferenda comminatur, quae nisi resipuerit ipsa tandem morte finienda protestatur. deinde aliam sese inuenisse ratus opportunitatem, ut paedagogi consilio puerum seduceret a proposito, seniorem aggreditur, de filii errore satis conqueritur, a quo eum emendari et ad deorum culturam reformari precatur. prouide, ait, et tibimetipsi et ei, quem fidei tuae commendaui, satagens qualiter depositum illud incolume restituatur mihi. nemo enim inter familiares meos ad huiusmodi commissum te uidebatur aptior aetate maturior sensu cautior, in quo de credita filii cura possem esse tutior. proinde age ut coeperas, ut et erranti puero salutem et sollicito patri pristinam securitatem reddas.

Ita patre carnali et incredulo circa subuersionem satagente filii, quid faceret pater ille misericordiarum, pater spirituum uniuersae carnis? numquid in se sperantem desereret? absit. misit enim ad eum angelum consolatorem, qui uerbis bonis uerbis consolatoriis pelleret timorem augeret fortitudinem. qui ait ei: ne trepides neque turberis, quem Dominus uirtutum et rex gloriae ut electum ex milibus tironem meae deputauit custodiae, semper tuendum et perducendum ad coronam uictoriae. ego sum qui preces tuas apud Deum commendo, uota perfero, suffragia promptus exhibeo. interea Hylas, qui nec blandimentis

profecerat nec flagellis, plangit filium unicum quasi amentem et periturum, nesciens illius salutem nec suam prospiciens perditionem. hinc est quod denuo eadem replicat, insensatus sapienti persuadere incassum laborat. puer autem seniorem iuste redarguit, filius patrem pie instruit, exhibitam per Christum redemptionis gratiam et unius Dei proponit culturam. Domino etiam cooperante omne quod loquitur congruo subsequentium signorum testimonio confirmatur, caeci per eum reddito sibi uisu laetantur, leprosi mundantur, daemones nihilominus audito eo ab obsessis refugiunt, paralytici claudi uel qualibet aegritudine depressi optatam interuentionis eius medelam continuo sentiunt. his uirtutum radiis longe lateque coruscantibus lucerna haec ulterius abscondi non potuit, sed ad illustrandam totam ecclesiae domum super candelabrum poni meruit. unde Valerianus praeses cognito famae huius indicio, quasi pro deorum iniuria motus est animo, et patrem pro filio infra annos adhuc posito responsum conuocans ait ei: filium tuum a religione deorum alienatum audiens, et tibi tamquam orbato illi tamquam perdito condolens dupliciter ingemisco, ac si quid remedii tanto huic malo possit adhiberi, anxie mecum pertracto. proinde tribunali nostro quantocius praesentetur, ut communi inter nos discussione causa eius uentiletur. adducitur itaque et iudicio sistitur nouus ille et nimis adhuc tener causidicus, loquente in se Spiritu sancto diuini iuris rationem redditurus. ad quem praeses: cur, inquit, non sacrificas diis, qui coluntur a parentibus tuis et ab imperatoribus ipsis? si pro aetate adhuc immatura uel ignoras uel perpendere non curas edicta publica, nunc saltem quae nesciebas disce tam pro commonitione paterna quam pro districtione iudiciaria. inuictissimorum decreta principum adorari prohibent Christum illum in Judaea quondam crucifixum, transgressoribus autem et deorum immortalium contemptoribus mortis imminet supplicium.

Beatus uero Vitus nec paternae dulcedinis trahitur affectu, nec iudiciariae potestatis terretur aspectu, eiusque se muniens signaculo, pro cuius erat adductus testimonio, iudici libera uoce respondit: erratis et uos et principes uestri in decretis contra iustitiam editis, qui nos ad creatoris iniuriam adorare cogitis creaturam. sed absit a me, ut ceruicem meam eius iugo assuetam daemonum ludibrio uidear subicere, debitumque illi honorem ad

alienos transferre. his auditis Hylas acerrimi doloris uehementia motus est, iamque desperans eum a proposito deflecti posse, quem uideret nec ipsi praesidi cessisse, tamquam orbitatis luctu eiulare coepit ac dicere: ad immaturas filii pereuntis exequias propinquorum et amicorum communes exigo lacrimas, quia tanta est mali magnitudo tanta maeroris amaritudo, ad quam solus non sufficio. uos quaeso plangite mecum, qui paternae dulcedinis naturalem sentitis affectum, qui desiderati et dilecti heredis lugubrem aliquando pertulistis interitum. haec et huiuscemodi lamenta puero pro deliramentis respuente, et salutis suae certitudinem in saluatore omnium positam fiducialiter protestante, praeses inter patrem et filium medius, illi quidem compatiens isti autem irascens ait: nisi generis tui nobilitate et speciali patris familiaritate retinerer, iam nunc deorum nostrorum iniuriam iusta in te uindicta ulciscerer. cui beatus Vitus: nil iam, inquit, ulterius patri deferas, nullas nobilitatis nostrae respectu moras expendas; nam idem ipse est hodie et cras quem confitemur, a cuius confessione uel seruitute nullo temporis interuallo permutamur. hoc itaque responso praeses magis accensus poenas, quas differre proposuerat, accelerari protinus imperat. porro ministri tirunculum Christi in catomo leuantes et ut iussi fuerant caedere festinantes arefactis deficiunt brachiis, eademque ariditate manus elanguit praesidis. qui pro subitaneo et inprouiso plagae huius periculo stupore simul perculsus et dolore, clamosis uocibus manum se testatur perdidisse. et cum maerore conuersus ad patrem pueri: quem, inquit, deceptum aestimaueram errore puerili, eius magicas artes graui experimento huius iacturae cognoui.

Illo autem prae nimia obmutescente tristitia beatus Vitus: nequaquam, ait, ut uobis uidetur magus, sed tam opere quam fide adiuuante Christo sum Christianus; nihil enim malarum artium bonum nos docuisse constat magistrum, sed quicquid est pietatis quicquid honestatis, hoc suis ille fideliter commendare solet discipulis. in hoc autem deorum tuorum, in quibus confidis, uirtutem experiri poteris atque potentiam, si ad inuocationem eorum manum receperis sanam. ad quem praeses: a te, inquit, potius expeto medelam, qui hanc intulisse mihi uideris plagam. ipse igitur inuocato Christi nomine manum eius optata redinte-

grauit sanitate. quem ille patri reconsignans ait: quoniam sicut ipse audisti et uidisti, nostrae auctoritatis paruipendit consilium, irridet iudicium, tuae nunc imminet sollicitudini quoquo modo eius prospicere saluti. itaque a consistorio praesidis in domum reducitur patris, grauiores ab isto passurus insidias, quam ab illo pertulerit minas. denique ad illaqueandum eum et ad saeculi uoluptates retrahendum nouae praeparantur decipulae: cymbalis et citharis suaui modulamine resonantibus puerilem pater impius temptat auditum, puellis irreuerenti motu certatim saltantibus innocentem illicit aspectum. ipse uero intrinsecus adeo canticis iucundabatur spiritualibus, ut ne ad momentum quidem transitoriis moueretur delectationibus. quod sentiens Hylas et maioribus eum ornamentorum illecebris tandem superandum aestimans, cubiculum secretum lapidibus pretiosis aliisque huiusmodi cultibus exornari iubet, ipsoque introducto seram extrinsecus admouet. sed o mira et noua rerum conuersio! artificiosum illud inimici ergastulum ad introitum iusti subito fit oratorium et angelicae dignitatis receptaculum. clausus enim ibidem puer flexis in terram genibus solitam Deo fundit orationem: Domine, inquiens, uirtus et fortitudo fidelium, conculca insidiantem nobis draconem teterrimum, ne quando praeualente illo dicant gentes: ubi est Deus eorum? ad cuius uocem effuso desuper lumine caelesti et odore inaestimabili, nouum illud orationis domicilium diuinitus illustratur, adeo ut dispersa latius eadem flagrantia tam Hylas quam tota eius infunderetur familia. ueruntamen iuxta incredulitatem suam non Dei ueri sed deorum suorum praesentiae istam deputabant gratiam. porro Hylas curiositate ductus, quid intus ageretur per fenestram contemplari praesumpsit, uidensque septem angelos filium suum circumstantes et in Dei laudibus pariter iucundantes obstupuit statimque lumen oculorum amisit. qui cum pro subitanea caecitatis plaga lugubri uoce lamentaretur, beatus Vitus pia compassione motus patri misericordiarum pro remedio miseriarum eius deuote supplicat, ut uidelicet de potestate tenebrarum translatus in electorum sorte asscribi mereretur.

Tota interim familia communi luctu pro tanto domini sui discrimine plangit, ad spectaculi huius nouitatem ingens propinquorum et amicorum turba undique confluit, inter quos etiam

Valerianus praeses affuit. qui pro conspectis incaute diis hac eum calamitate multatum audiens, caecus caeco inutilis consilii ducatum praebet dicens, Jouem uelut deorum principem recuperandae salutis gratia uotis esse placandum et sacrificiis. caecus igitur surdis numinibus uane supplicat, insensatos pro salute interpellat, uotis sese obstringit, sed nil remedii percipit. beatus autem Vitus coeptis perstans in precibus: Deus, inquit, auctor salutis aeternae, cuius est percutere et sanare, occidere et uiuificare, qui patrem meum pro caecitate cordis etiam corporeis excaecari permisisti oculis, sublatum illi quaeso lumen restitue, si tamen tua intrinsecus illuminari consenserit fide. erit enim ex hoc nomini tuo gloria, simulacris autem et his qui colunt ea perennis ignominia. interea Hylas irrita sentiens uota sua nec ulla deorum suorum audiens responsa, ad filium adhuc in oratione positum manibus reducitur seruulorum, eiusque genibus prouolutus piae interuentionis flagitat auxilium. cui beatus puer: si, inquit, salutem consequi desideras, uanis per omnia simulacris abrenuntia, quae totius humani generis saluti sunt contraria. Hylas respondit: qua ratione diis abrenuntiare potero, quorum mihi a progenitoribus meis tradita et commendata est religio, et quos usque in praesentem diem deuoto semper honoraui seruitio? ad quem beatus Vitus: ideo, ait, lumen caeli tuae subtractum est infidelitati, quod tamen continuo, ubi haec abnegaueris et in Christum credideris, restituetur tibi. Hylas itaque non fidei sinceritate delectatus sed taedio caecitatis affectus et coactus, abrenuntiare se idolis omnibusque diaboli pompis profitetur. cui beatus Vitus ait: noui quidem obstinatam in impietate mentem tuam fidei respuere gratiam, ueruntamen propter astantem populum Deo propitiante crediturum, optatam necessitati tuae in nomine Jesu Christi Nazareni impendo misericordiam. quod licet tibi non expediat in infidelitate permansuro, congruit tamen nomini eius magno, ut creatoris potentiam, quam uerbis asstruimus, operum exhibitione ostendamus. et his dictis manus suas eius superimposuit oculis, statimque fugata caecitate usum pristini recepit luminis; nec tamen largitorem tanti meruit agnoscere muneris. altiori enim cordis obscuritate inuolutus, qui in facie fuerat illuminatus, exclamauit et dixit: debita gratiarum actione deos meos honorifico, quorum beneficiis redditam mihi

luminis gratiam recognosco. econtra filius ille sensatus patri insipienti uirtutem insinuare non cessabat Domini nostri Jesu Christi, ut inexcusabilis esset pertinacia tam manifestis signorum atque uerborum testimoniis confutata. ipse uero solitis iam circa filium blanditiis uti superuacuum aestimans homicidii facinus meditabatur, hoc solummodum pertractans secum, quibus potissimum tormentis perderet eum.

Equidem quantum ad peruersitatem animi iam reus erat sceleris perpetrati, non tamen permissus est manibus propriis sanguinem effundere filii. angelus enim Domini apparuit paedagogo eius beato Modesto, de custodia pueri praecipiens ei ac dicens: sublato tecum puero tuae iam dudum fidei commisso ad litus maris festinanter descende, inuentaque nauicula in aliam transfretabis regionem, quam tibi missus sum demonstrare. cumque senior ignotae uiae praetenderet excusationem, angelus totius itineris sese affuturum spopondit ducem. erat autem eo tempore beatus Vitus annorum septem. itaque angelico securi ducatu ad oram maris perrexerunt, et praeparatam sibi a Deo nauiculam, ut paulo ante promissum fuerat, inuenerunt. angelus autem uelut infirmum pro immatura aetate pueri temptans animum percontatur, in quam peteret regionem. ad quem ipse constanter: a Domino, inquit, gressus hominis diriguntur, a quo et itinera nostra in pace disponentur. cumque idem angelus rursum temptando etiam naulum expeteret, beatus puer ait: ex quo uoluntariam paupertatem elegimus, in ipso, qui diues est in omnes, spem posuimus, quem etiam uice nostra mercedis tuae debitorem fiducialiter substituimus. ascensa deinde nauicula in locum, qui Electorium dicitur, uelocissimo transuecti sunt remigio, statimque nauigium illud disparuit, ut manifeste daretur intelligi, quia non humano sed angelico exhibitum fuerit ministerio.

Digressi uero a litore maris secus fluuium, qui Siler nuncupatur, diuerterunt, ibique optata refrigerii opportunitate sub arbore quadam reperta in hymnis et orationibus conquieuerunt. sed nec ibi aliquamdiu occultari potuit lucerna diuinitus accensa, nam suis quidem odiosa, apud extraneos autem gloriosa miraculis coruscare coepit beati Viti innocentia. nil sane uel ex his, quae uictui necessaria erant, timentibus Deus deesse poterat,

quibus iuxta concessam olim Eliae gratiam aquila officiosissime administrabat alimoniam. daemonia quoque a suis sedibus uel iam expulsa uel protinus ad praesentiam beati pueri expellenda, ignotum adhuc in regione illa nomen eius diuulgare cogebantur, cum flagella uirtute orationum ipsius sibi inflicta manifeste confiterentur: quid nobis, inquiunt, et tibi est Vite? quid uenisti ante tempus torquere nos? et uere ante tempus, quia longe infra annos maturae positus aetatis tam uiriliter tamque imperiose agis. o quantum nobis tua illa quae dicitur innocentia nocet, quam intolerabilibus nos suppliciis torquet! talibus prodigiis excitatus longe lateque populus terrae coepit ad milites Christi certatim confluere, et a tirunculo spiritualis militiae beato Vito baptismi gratiam desideranter percipere. affluebat enim stupenda nimis in tali puerulo doctrinae salutaris exuberantia, quae ad excolendum pietatis fructum arida gentilium irrigaret corda. porro antiquus ille humanae salutis aduersarius ardentiori pro his inuidia inflammatus circuit quaerens, quibus eum expugnet machinis, quibus sanctissimum eius corpusculum afficiat tormentis, cuius animam nullis corrumpere ualuit dolis. itaque filium Diocletiani imperatoris peruasit, diuque illum uexans tandem per os eius exclamauit: nullus mortalium me ab hac sede poterit deturbare, nisi Vitus Lucanus superueniens sua expugnauerit oratione. quod cum imperator audisset, ac pro eo quod ignotus sibi esset beatus Vitus, ubinam reperiri posset sollicite percontaretur, daemon subiungens: in territorio, inquit, Anacritano inuenietur. armatos ergo milites sub festinatione ad designatum dirigit locum, ut adducerent illum. qui ut iussi fuerant abeuntes, ad praedictum peruenerunt fluuium, ubi solitis incumbentem precibus reppererunt eum, cui et dixerunt: tune es Vitus Lucanus? et ipse nec repentino militum aduentu nec armorum contuitu, ut talis solet aetas, conterritus, se esse quem quaererent asseruit. at illi praesentiam, inquiunt, tuam imperator desiderat, quam pro imminenti quadam necessitate sibi opportunam aestimat. quibus puer beatus respondit: ego tam inutilis et fragilis puerulus, cuius rei gratia tantae dignitati uideor necessarius? at illi dixerunt: filius eius grauiter a daemonio uexatur, quem tuo potissimum liberari sperat auxilio. beato igitur Vito imperatoriae legationi annuente iter agere coeperunt, sanctus

